39 Tab. ~~Matthaei Harderi Meid.~~ 1676.

Anatomy (errors, memoirs, and observations ~)



AMSTELODAMI, *Sumptibus* ANDREÆ FRISII, MDCLXX.

THEODORI KERCKRINGII

DOCTORIS MEDICI

SPICILEGIVM ANATOMICVM,

continens


Obſervationum Anatomicarum rariorum centuriam unam:

NEC NON

OSTEOGENIAM FOETVVM,

in qua

Quid cuique oſsiculo ſingulis accedat menſibus, quidve decedat & in eo per varia immutetur tempora, accuratiſsimè oculis ſubjicitur.



AMSTELODAMI,

Sumptibus ANDREÆ FRISII.

cIↄ Iↄ c LXX.

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO,
EXPERTISSIMO, BENEVOLO

LECTORI MEO,

MEDICINÆ ANTISTITI,
VERITATIS AMATORI.
AMICITIÆ MIHI SACRIS
VEL INITIATO JAMDVDVM,
VEL JAM INITIANDO.

QVoi dono lepidum novum libellum
Arida modo pumice expolitum?

Cui? nisi, Lector, tibi. Non diu, nec ancipiti judicii lance deliberandum hoc fuit; ipsa veritas, me tacente, loquitur te esse, cujus tutelæ, gratiæ, arbitrio-

trioque hunc fœtum committo, cujus censionem ac tribunal exspecto. Quid ergo tergiversor, aut per ambages alium patronum quæro? ad te rectâ venio, ad te, velut ad quæsitorem totam causam meam conjicio. Si gratiæ quid sperandum, à te nimirum exspecto, cui soli placebo, si quid favore dignum inveniatur; à quo solo venia impetranda, si displiceo: nam splendor ac fama, nisi tu idem dederis, ab illis nulla erit, qui non legerint. Tuum ergo, cujus mihi standum erit judicio, exquiro favorem; primùm ut fidem habeas, vidisse me, quæ ocu-

oculorum consigno testimonio; deinde ut legas sine præjudicio; addo, si quædam reperisse me dixero, quæ vel alii non viderunt, vel etiam esse in rerum natura negaverunt, veni videre, si non credas; imo veni, ut credas: habeo enim, quod sæpe inculco, earum rerum non exsculptas solùm imagines, sed res ipsas immortalitati donatas, quas oculis semper curiosorum possum exhibere, ut illis ipsis litem definiant, & sibi, non mihi credant.

Quo fiet, spero, ut hoc Spicilegium meum legas cum favore, laude, plausu. Vel si me

spes

ſpes iſta in te fallat; lege, quæſo, cum venia; aſpice ſine invidia; narra ſine mendacio : ita tibi, Lector, ſtudia tua proſpere, vita procedat feliciter. Verbum hîc non addo, te enim in prooemio rurſum, te opere toto alloquar; neminem enim hîc alium video. Vale igitur, ſed mane Lector, & perlege, iterumque vale. Ita optat

Tuus

TH. KERCKRINGIVS.

PRO-

PROOEMIVM.

SVnt quidam tam iniqui de temporibus ſuis judices, ut omnem ubertatem ingeniorum & gloriam penes antiquos fuiſſe, ibique ſtetiſſe arbitrentur. Atque hi perpetuò decantant Auguſti illa tempora, cùm de iis rebus incidit ſermo, quæ authores, qui tum vixère, attigerunt. Si de Philoſophia agatur, Platonem & Ariſtotelem, ut ſcientiæ perfectæ lumina adferunt, & penè ut numina adorant, tanquam ſi duo iſti viri mente & intelligentià concepiſſent quicquid immenſa rerum natura tot retro ſeculis molita eſt, tot futuris temporibus molietur. In Medicina verò idem etiam uſuvenit antiquariis iſtis temporum ſuorum contemptoribus: his Hippocrates ſemper in ore, nihil à poſteris dici volunt, quod ſenex iſte non antea dixerit: imo tam ſunt idololatræ unius viri, ut nihil poſſe inveniri exiſtiment, quod ille non ſciverit, & antehac pronuntiaverit. Hinc quicquid poſtea tot ingenia excogitarunt, quicquid longa experientia docuit, quicquid uſus in Medicina perfecit, omnia ad Hippocratem, verba ejus, quantuncumque invita, obtorto quaſi collo eò trahentes, referri volunt.

Si bonâ hominum iſtorum veniâ rationibus agere liceret, peterem quid de rerum natura exiſtiment? an conſenuiſſe eam, atque ut agrum ferendo, ſic illam quotidiano animorum cultu defeſſam, vim vigoremque ſuum exhauſiſſe putent? Peterem quantum temporis toti ejus ætati dent? quia ſibi fingunt eam tanquam infantem circa incunabula reptantem, res imperfectas primùm, deinde meliores, ac tandem quaſi adultam optimas protuliſſe; unde jam, tanquam in ſenium vergens, ſemper in pejus deficiat. Dicerem Philoſophiam Ariſtotelis, & verò etiam Divini, ſi Diis placet, Platonis ferè puerilem eſſe infantiam, ſi cum Aegyptiorum Philoſophia conferatur, in qua verè Divinum Legiſlatorem Moſen verſatum fuiſſe ſcriptura commemorat, & quam Salomonem, dum eum in ſummo ſapientiæ culmine ponit, quodammodo ſuperaſſe eædem ſacræ paginæ affirmant. Oſtenderem, quàm exiguas habeamus tot ætatum, quæ ante Moſen, & etiam poſt illum fluxerunt, reliquias. Quæ Druidæ Gallorum, quæ Gymnoſophiſtæ Indorum, quæ tot ſapientes omnium populorum ſciverunt, omnia interciderunt, & volumus ex paucis chartulis (ſic appellare poſſum ea, quæ temporum injuriis in omni genere diſciplinæ ſuperfuerunt) metiri totam naturæ, & omnium venturo-

turorum ingeniorum potentiam, huc concludere omnem ab omnibus deinde impendendam industriam. Si quàm liberè illi posteros omnes damnant vel inscitiæ, vel inertiæ, tam securè mihi liceat de illis ferre judicium; nihil vel ineptius, vel imperitius, vel denique iniquius reperiri posse dicerem stolidis istis antiquitatis admiratoribus. Viget adhuc, vigebitq; semper ingenii humani solertia, nunquam deerit rerum inveniendarum copia, nunquam res novas quærentium fatigabitur industria. Si quando, ut annus alter altero est fœcundior, ita dum inter se conferuntur secula, doctrinæ fœcunditatem quædam quasi sterilitas nonnunquam excipit, id bellorum quandoque injuriis, quandoque pacis diuturnæ luxui, aliis aliàs casibus referre oportet acceptum. Atque hinc circumscribitur semper quibusdam locorum spatiis, certisque rerum circumstantiis hic defectus, ut potiùs migrare videatur, quàm sistere natura suam effundendi in homines ingenii liberalitatem. Ut omittam tot integra rerum noviter inventarum volumina; refutavit satis hanc stolidam antiquitatis admirationem, vel in unica Medicinæ parte elaboranda seculi nostri solertia: quot enim, conspirantibus jam in Anatomia excolenda tot ingeniis, hoc tempore nova inventa prodierunt, de quibus nihil quicquam cogitavit antiquitas.

Venarum valvulas *ostendit primus Hieronymus Fabricius, ab Aquapendente dictus; cui certè laudi dandum, quòd eas invenerit, venia danda, quòd veram earum constitutionem usumque aliis inveniendum reliquerit.*

C. Asellius Ticinensis ductibus istis *in mesenterio, quas* venas lacteas *vocitant, perpetuò ovabit.*

Guiljelmus autem Harvæus, Angliæ Regis Archiater, propter circulationem sanguinis *à se inventam perpetuos aget in Medicina triumphos.*

Currum ejus partim antecedunt, partim sequuntur, non ut captivi, sed ut victores, spolia quisque opima manibus suis parta portantes, Thomas Bartholinus Danus, vasa lymphatica *ostentans. Thomas Wartonus Anglus*, ductus salivales inferiores; *Nicolaus Stenonis Danus* superiores, *inventa quisque sua tanquam prædas ex ignorantiæ castris raptas præ se ferentes.*

Nec tacendus hìc Joannes Georgius Wirsungus, Bavarus, ductûs pancreatici *inventor, à quo ne plura acciperemus, invidiæ, eum in flore ætatis sclopeto, dum supra omnes antecessores suos in gloriosa Medicinæ cathedra quotidie de ignorantia ageret triumphos, perimenti, ferimus acceptum.*

Thomas item Willes Anglus methodum examinan-

minandi cerebrum *sine ulla ejus dissectione tam egregiè aperiens. Et verò Fredericus Ruysch* bronchialis arteriæ, *quæ per omnes pulmones transit repertor, hìc etiam laudem suam invenient.*

Nam de Francisco de le Boe Sylvio, Professore Medicinæ in Leydensi Academia primario, & jam Rectore Magnifico, qui inter primos erat nominandus, nihil dicam, ne delibando laudes viri, quid nomini ejus detrahere voluisse existimer. Nam ejus in operationibus anatomicis dexteritatem, longè artem eorum superantem, qui ista ex professione sua tractant; istam gratiam, qua discipulorem animos ad se allicit,

Omnibus injiciens blandum per pectora
amorem;

allectos Medicinæ præceptis ita imbuit, ut qui ab illo formati sunt novitii cum veteranis etiam Medicis congredi non erubescant: vincit nova ejus Hypothesis, quâ morborum omnium cognitionem accuratiorem, & sanationem faciliorem reperiri posse existimat: quam, Lector, malo ex praxi ejus aliisque viri scriptis petat potiùs, quàm ut hìc mutilam ejus proponam descriptionem.

Omnes, inquam, hi Anatomiæ Proceres non tantam laudem tulissent inventis suis, si omnia deberentur Hippocrati, & nihil recentiorum ad Medicinæ

ſpartam exornandam conferret induſtria. Quibus ſi quid in hocce Spicilegio, *quod ego poſt meſſes eorum collegi, invenias, quod adjungi mereatur, tu quæſo, Lector benigne, reſpice, & gratus accipe. Quam poſtulationem meam æquiſsimam ne rejicias, dicam cur hanc Medicinæ partem ante alias elegerim, cui dedicarem operum meorum primitias: dicam quid hìc ſcripſerim; quibus cùm modum ſcribendi adjunxero, te, Lector amice, amicâ manu in* Spicilegium *meum emittam, ut ſi quid ibi dignum collectione meâ, aut inſpectione tuâ reperias, quod novitate ſuâ arrideat, non invidus abjicias, ſed oculo benigniore foveas, per me, vel te, vel fortè alium te, meque magis induſtrium tandem aliquando ſumpturum incrementa,*

Cur ergo Anatomica ſcribam, ſi quis eſt, qui me roget, iſtud reſponſi ferat. Quia licèt tot præſtantia ingenia per hanc arenam nunc flectant habenas, nuſquam tamen campus reſtat apertior & amplior, quem nemo ararit, quemque magis ex bono publico ſit exerceri & coli. Fatebitur quiſquis fructus expenderit, quos attulerunt nuper tot ab authoribus ſupra laudatis anatomica inventa. Quibus hìc addam probabilem quandam ſententiam noſtram, quæ mihi inter operationes anatomicas, dum renes ſuccenturiatos accuratiore perſcrutor examine, in mentem venit.

No-

Nostra de renibus succenturiatis sententia.

Quid vasculis hisce à rerum gubernatrice Natura sit demandatum officii, latet etiamnum Medicos. Ego invenio parietes capsarum harum atrabilariarum (ut eas non incongruè nominat Bartholinus) cum illo nigredine intrinsecus obductos; animadverto sanguinem, qui egreditur ab his per venam notabiliter immutatum ab eo, qui per arteriam in illas ingreditur. Quid si ergo diceretur in hisce capsis elaborari succum quendam biliosum, qui deinde per venam emulgentem, vel, ut sæpe accidit, immediatè ad cavam deferatur, hincque cor petens excitet illam effervescentiam, quam Franciscus de le Boe Sylvius ibidem à salso cum acido permixto excitari contendit. Licèt enim delationi ejus succi ex hepate per venam cavam tot jam occlament experientiæ, non tamen quantùm ad effervescentiam in corde factam, cui totum systema ejus innititur, causâ cadet Professor ille doctissimus; si veritas huic nostræ suffragetur sententiæ. Si opponas parum hìc generari ejusmodi succi salsi. Respondebo, ut parum fermenti sufficit ad massam ingentem fermentandam; ita parum salsi magnæ acidi quantitati admixtum, magnam efficit effervescentiam; contra si parum acidi majori copiæ salsi admiscueris, effervescet

qui-

quidem, ſed leniter, & citò ſubſiſtet motus. Experire, ſodes, & immitte magnæ copiæ ſalis tartari parum ſpiritus vitrioli, effervefcet quidem, ſed non diu, non vehementer. At ſi è contrario multùm ſpiritus vitrioli, qui acidus eſt, ſumpſeris, eique tantillum ſalis tartari immiſeris, & vehemens erit & diutiùs durabit effervefcentiæ motus. Cùm ergo in corde extra controverſiam ſit acidum, ſitque ibidem per calorem motûs, accedente hoc ſalſo bilioſo fiet effervefcentia ſatis memorabilis.

Audione rurſus te objicientem? Renes hi ſuccenturiati paulatim accreſcente ætate decreſcunt. Audi & tu reſpondentem; etiam cum eadem ætate minuitur hic effervefcentiæ motus, ut ſatis docet ſenum tarditas & frigiditas.

Quod ſi tertiò occurrendo interroges; an ſuccus hic per venam è renibus ſuccenturiatis egrediens clarè ſatis & apertè diſtinguatur? Reponam, hunc etiam tum eſſe permixtum ſanguini: hinc me non tam liquidò poſſe de eo affirmare, quàm Regnerus de Graef, quem honoris cauſâ nomino, id oſtendit in ſucco pancreatico: ſed probabilia prodo ut talia, ſpeculationique aliorum ſuggero materiam.

Sed de hoc, uti & de ſpiritibus animalibus, an non contra vulgatam jam, & fortè vulgarem nimis

ſen-

ſententiam à partibus ad nervos, & inde ad cerebrum deferantur, ſi Deus mihi otium annuerit, alibi dabitur latiùs diſputandi locus; dum ſcilicet vacabit per ea ludere, quæ in utramque partem agitari poſſunt.

Non talia ſunt, quæ jam in lucem profero. Spicilegium *eſt non dubiarum, aut qualium qualium herbarum temerè congeſtarum in manipulum, ſed frumenti optimi & probatiſsimi collectio in binos congeſti manipulos; quorum poſterior* Oſteogeniâ fœtuum *prior* centum *conſtat* Obſervationibus, *in quo ſpicas nonnullas invenies, ita in agro noſtro natas, ut novitate ſuâ oblectaturæ ſint curioſum horum talium indagatorem: ut enim ſingulas de novitate non commendo, ita quaſdam aliqua hactenus minùs obſervata continere non nego. Qui gemmas in conchis, vel aurum in venis ſcrutantur, non ita felici id agunt conamine, ut omni petitione, quod quærunt, inveniant; gaudent ſi intervallis quibuſdam votis eorum fortuna reſpondeat: ſic tu, ſi inter centum obſervationes quandoque unam reperias, quæ novitate placeat, aut quidpiam, ad rem medicam pertinens, doceat, operæ pretium erit omnes percurriſſe, ut in hanc incideres. Verbo enim ut dicam*

Sunt bona, ſunt mediocria,

tertium non addo, ne ipſe mihi malè ominari videar; non aliter libros fieri jamdudum Epigrammatiſtes vaticinatus eſt: bonus lector bona colliget, mediocria leget, & ſi quid tertii generis occurrat, ignoſcet.

Reſtabat è tribus, quæ initio me præfaturum receperam, ut quo modo ſcripſerim hæc anatomica te edoceam. Non repeto, quod Fallopio aliiſque multis diſplicet, totam iſtam Anatomiæ cramben toties regeſtam, & de charta in papyrum tranſlatam; ſed ea tantùm, quæ vel ad rei propoſitæ intelligentiam neceſſaria ſunt, vel novitate ſuâ jucunda adfero, eademque ex novis delineationibus æri inciſa depingo. Atque hæc nobis ſatis certa eſt rei demonſtratio, præſertim ideo, quòd pleraque, quæ vel nova ſunt, vel abhorrentia à vulgatis aliorum ſententiis, ea domi tam in oſſibus, viſceribus, muſculis, quàm arteriis, venis, nervis, vaſiſque lymphaticis incorrupta oſtendere poſſim, quod lector dignetur omni mathematicâ demonſtratione certius in hac Medicinæ parte aſſumere: nec enim puto oculari inſpectione à quoquam adferri quicquam poſſe evidentius. Nam eorum, qui jam ſibi ita placent in ſua Mathematica, ut etiam Medicinam velint ad ejus

leges revocare, nihilque tentari à Medico, antequam illud & faciendum esse, & aliter fieri non posse demonstraverit, tanquam ineptos homines à medicandi arte præstantissima rejiciendos censeo. Ego certè eos insanire citiùs mathematicè demonstravero, quàm illi probaverint artem hanc practicam, & , quæ non exigua ejus laus est, divinatoriam, ad Mathematicorum leges revocandam esse. Non potest revocari omnium Regina artium Politica, non debet Medicina. Agendum in utraque est ex prudenti judicio, & servanda respublica ægerque sanandus est, antequam pereant, dum illi suos quærunt, quos nunquam invenient, calculos, quosque quærendos esse gratis assumunt, & prudentium omnium ingratiis.

INDEX & SVMMA
OBSERVATIONVM.

OBSERVATIO

XXIII. Mon-

ELEN-

ELENCHVS CAPITVM

OSTEOGENIÆ.

THEODORI KERCKRINGII OBSERVATIONUM ANATOMICARUM RARIORUM CENTURIA UNA.

OBSERVATIO I.

Nummus Pylorum occludens.

FAta ſæpe viam invenire, quâ hominem enecent, minime prævisam mortalibus, docuit Amſtelodami infortunium puellæ quinque fere annorum, & triſtitia parentum ex morte inexſpectata filiæ graviſſima. Ea inter ludendum XIII. Decembris anni M. DC. LXVII. nummum argenteum exiguum aſſem, ſive ſtuferum, ut vocant, valentem, qui ſeptem colligatas in faſcem ſagittas provinciarum Belgii unitarum inſigne præ ſe fert, deglutierat; inde altero tertioque die nullum ſentiebat incommodum, quarto de dolore ventris cœpit queri, locumque doloris manu deſignabat in ſiniſtro latere circa inferiorem partem ventriculi: augeſcente indies dolore, appetitus perit, & quidquid ciborum ſumit, rurſus ejicitur, vires intra paucos dies collabuntur. Ego vige-


OBSERVATIO II.

Superfœtatio.

IN muliere rarò evenit ut superfœtet, sed factum tamen aliquando est, inquit * Philosophus. † Plinius adstipulatur. Et libro integro de superfœtatione scripto, ut omnes taceant, hoc irrefragabiliter testatur divinus Medicorum Magister. Interim *superfœtationis natura & ratio tantis difficultatum involucris est implicita, ut plerique eam fieri non posse existimârint : sed audiendi non sunt*, inquit * Laurentius. Nequaquam audienda esse ista speculationi suæ tam addicta ingenia, ut quæ ipsi, quomodo fiant, non percipiunt; audacter, dicam, an impudenter negent, omnemque denegent fidem viris quantumlibet probis, qui se, vel vidisse, vel expertos esse confirmant ea, quæ ipsorum excedunt scientiam. Cùm ergo superfœtationem dari præter antiquos clament Laurentius, Sennertus, Nicolaus Florentinus, Paulus Pereda, innumerabiles alii : & tamen pervicaces isti longe petitas, vel tantum auditu cognitas ogganniant esse historias, volui hîc etiam extare luculentum superfœtationis exemplum. Qui testimoniis tot & tantorum virorum non convincuntur, veniant & videant duo penes me sceleta geminorum uno partu editorum, quorum alter octo erat mensium, alter quantum nunc ex ossibus apparet, & tunc, cùm carne

ne

* *7. de hist. anim. cap.4.* † *lib.7. natural. histor. cap.11.* * *Lib.8. quæst.22.*



ne veſtita mihi offerebantur, ex toto corporis habitu apparebat, quartum menſem nondum attigerat: quod etiam figura appoſita ſpectatorem liquidò ſatis docebit.

Quamvis non multæ aliæ exiſterent ex obſervationibus rarioribus utilitates, hoc ſaltem haberemus, ut neotericorum experientia fidem aſtrueret veterum ſententiis, quas plerunque increduli iſti ad fabulas rejiciunt, quia nihil fere eſt rarius, quod non commentis ſuis vel illuſtrârint, vel obſcurârint, qui tum erant populorum magiſtri, Poëtæ. Quorum allegoriæ, dum rerum veritatem quidem explicarent jucundius, factum eſt, ut populus adhæreſcens externo parabolarum cortici, nucleum, qui ſub iis latebat, negligeret: ideo quæ de Alcmenæ Herculem & Iphiclem parientis ſuperfœtatione myſterioſe magis, quàm vere ab iis dicuntur, non attuli: ne parabolica iſta, tam claris experientiis objicerent tenebras dubitationis.

OBSERVATIO III.

Tumor in dorso saccum frumento plenum referens imaginationis vi efformatus.

IMaginationis vis fide fere omni major, cum tot in rebus ubique pateat, tum ipse videor hîc allaturus insigne quoddam ejus experimentum. Franciscus quidam Huyer, Quæstor Ducis Neoburgici per eum districtum, qui *Meselaen* dicitur, coacturus rusticum quendam ad ea onera solvenda, quæ subditis communiter erant imposita, quibus vel par non erat, vel non esse se simulabat, jussit frumentum è granario ejus efferri, cui executioni dum ille & adest & præest, anicula quædam dorsum ejus terque quaterque feriens, Francisce, inquit, Francisce, quid agis, ô quid agis, Francisce? Ille percussione verbisque iis nonnihil commotus, sensit eodem die, quo loco anicula eum tetigerat, tuberculum quoddam surgere nucis avellanæ magnitudine, quod intra triduum ad magnitudinem ovi gallinacei excrescebat; neque hîc finis incrementi: tribus id annis gesserat, cùm anno M. DC. LXVII Amstelodamum consilii atque auxilii causâ excurrit; jam informis tumor eum in modum auctus erat, ut saccum frumento impletum, quem dorso portaret, referre videretur.

Consuluit ille multos, quibus Amstelodamum gloriatur doctissimos viros, & præ ceteris Franciscum de Vicq, Guiljelmum Pisonem, Franciscum vander

Scha-

Schagen, qui inter frequentes in celeberrimâ urbe Medicos tum eminebant: nulli eorum videbatur apertione tumoris quidquam tentandum, quod esset periculosæ plenum opus aleæ: idem præcipui Chirurgi, sed non omnes, ea super re consulti, censuere. Dum me privatim æger consuleret, obstupui videns tantam molem plenam semicrudâ œdematosâ materiâ, quæ jam & maximam dorsi partem occupaverat, & profunde admodum ad ossa ipsa penetraverat. Viro, ne cui unquam apostema aperiendum committeret, suasi, sed quod eventus docuit, non persuasi. Postea enim Coloniæ se Chirurgo cuidam tradidit, qui vomicam aperiendo inde œdematosæ materiæ ingentem copiam, unà cum anima eduxit: communicata mihi postmodum est à consanguineis ejus monstrosi tumoris delineatio, quam ecce tibi æri incisam exhibeo.

Causam hujus monstrosi tumoris plerique ad artem magicam referebant, quâ pollens ista anicula tactu illo hominem intoxicasset. Sed quis non videt, propiorem, & clariorem, & physicam ejus causam posse assignari? Homo superstitiosus tactus hac ratione ab anicula cùm intoxicationis aliquem metum concepisset, & antea, ut fit in talibus executionibus, sese cholera commovisset, humor motu facilis, utpote tenuis & levis, ab imaginatione determinatus ad id loci confluxit, quem anicula tetigerat. Crescente deinde cum imaginatione ipso tumore, phantasia hominis circa Dei vindictam, quod nimio

rigore


Tab. III
A

rigore pauperem rusticum frumento spoliasset, cœpit ludere: unde in ipso, prout fit in gravidis mulierculis, aliquam sacci frumentarii dorso hærentis speciem tumor induit. Quid, quæso, hîc opus est ad magicas artes, quæ nullæ sunt, tales nimirum, quales fingunt, diabolicas recurrere, cùm videamus imaginationem quotidie multò mirabiliora efficere.

OBSERVATIO IV.

Valvulæ in venis triplices, imo & quintuplices.

QUæ vidimus, ac manibus ipsi contrectavimus, ea reperiri in rerum natura liquidò affirmare possumus, & jure æquissimo fidem exigimus ab iis, quibus hæc talia vel narramus, vel scribimus: at contra negare ea existere, quæ nobis, quamquam diligenter in ea ipsa inquirentibus nondum oblata sunt; præter notam temeritatis, quæ inde nomini authoris inuritur, multum fidei derogat ceteris, dum suspicantur lectores eum, qui tam leviter propositionem negantem arripuit, non minus temere ajentem secutum fuisse: præsertim si postea contrarium reperiatur ab aliis vel diligentioribus, vel certe felicioribus investigatoribus.

Quis Bartholino vel in recensendis aliorum sententiis diligentior, vel in examinandis cultro anatomico corporibus curiosior unquam fuit? magni facio virum cum omnibus, laudo occasione oblatâ apud plurimos, absentem, & non nisi libris suis no-

tum amo; ideoque (quod mortalium cavere nemini datum est) vel nævum scriptis ejus aspersum reperiri, tanquam si eximius ipse à mortalium conditione esse deberet, doleo. Idcircoque hæc ab * Anatomia ejus reformata abesse mallem, ubi dicit. *Numerus valvularum in uno loco non excedit binarium. Nam per intervalla modò singulatim, modò geminatim ad summum sitæ sunt: non ternæ, ut in vasis cordis, unquam reperiuntur valvulæ.*

Quæcunque affirmas Vir doctissime te vidisse credimus, & nihil te astruxisse quod non videris, id quoque credimus: at si quid fatearis te non vidisse, id non esse in rerum natura, propterea credere non debemus. Ego enim in venis tum hominum, tum bestiarum valvulas ternas sæpe reperi; & in testimonium servo venam jugularem internam hominis, in qua ternæ triplici loco conspiciuntur valvulæ; ubi ex subclavia prodit exiguo intervallo bis, & interjecto fere trium digitorum spatio iterum, pro ut figura prima tabulæ quartæ demonstrat. Imo hoc amplius addo, servare me venam jugularem canis, in qua quinque uno in loco valvulæ ita sunt conspicuæ, ut dinumerare eas vel infans possit: quod quia Bartholinum fugit, neminem observasse existimo. Non fugit tamen † Riolanum aliquas in jugulari interna inveniri valvulas præter eas, quas ‡ Hieronymus Fabricius ab Aquapendente in ejus exortu collocat, nul-

* *Libello 1. cap 2.* † *Anthrop. lib. 5. cap. 49.* ‡ *De venar. ostiolis Tab. 1.*

nullaſque alias reperiri affirmat, cujus contrarium aliquando inveniri, jam diximus nos omni tempore poſſe oſtendere.

Poterat autem aliqua etiam ratione morari iſtam ita univerſaliter negandi promptitudinem idem ille, qui valvularum primus habetur inventor Hieronymus Fabricius ab Aquapendente, qui Bartholinum, & cum eo plures in errorem induxerat. Cujus verba in tractatu de venarum oſtiolis hîc verbis totidem repetam, ut oſtendam ab eodem, unde error ortus eſt, aliquod peti potuiſſe erroris remedium. *Bina*, inquit, *oſtiola ſingulis locis paſſim ſunt appoſita, non ſicut in corde tria, quia in corde recurſum magis impediri; in venis tranſitum aliqua ex parte remorari erat opus: in corde rurſum magna aderat diaſtole & ſyſtole, in venis nulla. In corde tandem maxima ſunt foramina canaleſque ampliſſimi, ubi oſtiola adſunt: ob quam cauſam in bove, ut puta vaſto animali, aliquando tria obſervata ſunt oſtiola.*

Auditisne in bove aliquando obſervata eſſe tria oſtiola, ſeu valvulas? ne quis affirmaret, nunquam reperiri tres. Auditis & illud *in corde recurſus magis impediri, in venis tranſitum aliqua ex parte remorari erat opus.* Nondum Anglicum illud Harvæi lumen Italam illuſtraverat diligentiam, circulatio, inquam, ſanguinis nota Fabricio ab Aquapendente nondum erat; ideoque contentus duo inveniſſe oſtiola, quæ tantum remorando ſanguini, non autem recurſum ejus impediendo neceſſaria putabat, non fuit ei curæ accuratius ea indagare. Si ſanguinem ſurſum ferri

per venas ſciviſſet, diligentius, an non etiam tria plurave oſtiola ejus recurſui ſiſtendo natura adhibuiſſet, procul dubio fuiſſet perſcrutatus. Quapropter ſpero nemo poſthac nobis tres, & aliquando quinque ſimul valvulas reperiri, non tantum affirmantibus, ſed quocunque tempore (quod hac in re validiſſimum demonſtrationis genus eſt) oculis exhibere paratis, uti ſpero, refragabitur. In venis, inquam, hominum jugularibus eas aliquando reperio, & in bubus ſæpiſſime: quod per eas venas omnis ſanguis ex capite ad cor præcipitetur, vaſaque ipſa ſint ampliſſima, cavit provida natura hac valvularum multiplicatione, ne nimiâ vi ſanguis ille deſcendat; hinc in hominibus ipſis, ſi qui jugulares venas habent ampliores (eſt enim hîc in magnitudine inſignis varietas) reperitur hæc valvularum triplicatio aliquando. Veniam interim facilè concedimus iis, qui in Fabricii, & Bartholini ſententia fuere: perdifficilis enim eſt valvularum iſtarum inveſtigatio; nam qui premendo in venis ſanguinem id moliuntur, quàm infido nitantur præſidio, docet error ipſius Fabricii, qui cùm valvulas eo modo inveniſſet, qua ratione aperirentur invenire non potuit. Qui autem venas exſectas inflando examen ſuum accuratius inſtituunt, iis cautelâ quadam & conſtantiâ opus eſt, ne quod non apparet, id eſſe negent: applicant enim ſe venæ lateribus tenuiſſima illa valvularum corpuſcula, & ita latitant, ut ſæpenumero ne ſextâ quidem experientiâ ſeſe prodant: experto credite, etſi non

ſtatim reperiatis, in negando ἐπέχετε, in inveſtigando perſeverate; & invenietis inter alia, etiam ubi binæ tantum ſunt valvulæ, earum unam duas tertias venæ partes ſæpe occludere; aliam minorem reliquæ parti claudendæ deſtinatam eſſe: ſcrutentur, inquam, conſtanter quotquot hanc Medicinæ partem excolendam ſuſcipiunt, (ſuſcipere autem deberent Medici omnes) ſingulique ſine invidia conferant ſymbolum, & excreſcet tandem opus Anatómicum in admirandam cunctis perfectionem; cui quantum conferat quotidie Anglorum ſub Regis ſereniſſimi protectione congregatio, omnes grati animi lætitiâ agnoſcimus. Contulit etiam non parum expertiſſimi noſtri Amſtelodamenſis Anatomici Domini Frederici Ruyſch indefatigabilis ſolertia, qui inter cetera reperit valvulas illas, quibus venæ, ubi majores ramos ſpargunt, occluduntur, ab aliis figurâ valde eſſe diſtinctas; quarum imaginem, quod ille non fecit, bonâ ejus, uti ſpero, veniâ, hîc lectori exhibemus.

Explicatio Tabulæ IV. ad Obſervationem IV. valvulas triplicatas, quintuplicatas, eaſque, quæ ad majorum venarum divaricationes inveniuntur, octo figuris explicans.

FIGURA I.

A. *Vena jugularis hominis.*
B. *Valvula triplex, prima ubi ex ſubclavia prodit.*
C. *Altera triplex valvula priori proxima.*
D. *Tertia triplex valvula, fere trium digitorum latitudine à ſecunda diſtans.*

FIGURA II.

A. *Vena jugularis Canis.*
B. *Quintuplex valvula minus diſtinctè à chalcographo expreſſa, quam clarius propono* FIG. III.
C. *Valvula triplex.*

FIGURA III.

A. *Pars venæ jugularis canis aperta paulo quam erat latior, ut clarius quinque valvulæ appareant.*
b. b. b. b. b. *Quinque valvulæ intra venam conſpicuæ.*

FIGURA IV.

A. *Pars venæ jugularis humanæ aperta, ut triplex valvula appareat.*
b. b. b. *Tres valvulæ diſtinctæ.*



Tab. 4.
FIG. I
A
D
C
B
FIG. II
B
A
C
FIG. III
b b b b b
A
FIG. IV
b b b
A
FIG. V
A
FIG. VI
B
A
C
FIG. VII
B
A
B
FIG. VIII
A

FIGURA V.

A. *Tres valvulæ in vena jugulari pueri hîc apposita, ut lector videat aliquando hanc triplicaturam occurrere.*

FIGURA VI.

A. *Vena jugularis bovis, in qua, ut etiam Hieronymus Fabricius ab Aquapendente animadvertit, sæpius invenitur valvularum triplicatura.*

B. *Triplex valvula.*

C. *Altera triplex valvula in eadem vena.*

FIGURA VII.

A. *Pars venæ cavæ equinæ aperta.*

B. B. *Figura valvularum, quæ affixæ sunt venis, ubi ramos majores emittunt, quæ differunt longè figurâ ab aliis venarum valvulis: non enim lunæ crescentis, sed pyri oblongioris formam referunt, unde nos eas meritò pyriformes appellare audemus.*

FIGURA VIII.

A. *Pars venæ cavæ humanæ, ubi eædem ostenduntur pyriformes valvulæ.*

OBSERVATIO V.

Arteriarum cum venis anaſtomoſis experimento lymphæ extra eas repertæ impugnatur.

QUanquam circulatio ſanguinis jam penè ſcholas omnes ita feliciter circumiverit, ut fere ab omnibus admiſſa, non niſi ab imperitis & pertinacibus repulſam patiatur; nondum tamen expeditum ſatis videtur, quâ ratione ſanguis arterioſus ad nutritionem partium in eas effuſus, rurſum ad cor deducatur, ut ſic motus iſte perpetuus continuetur, & interim partes demenſo non defraudentur ſuo. Nam anaſtomoſis venarum & arteriarum, quæ ne quidem maximè lynceis ætatis hujus Anatomicorum oculis unquam apparuit, etiamſi concederetur, tamen rei hujus explicationi eſſet ineptiſſima. Quid ergo dicemus? Nos quidem in hocce libro nihil. Videamus tamen an experimentum, quod cultro noſtro Anatomico XXXI. Januarii anno M. DC. LXVIII. & iterum IV Junii anni ejuſdem oblatum eſt, non ſternat viam, ad ſolvendum hunc nodum verè herculeum. Utroque enim, quod annotavi, tempore canem ſecans, inveni ſpectatæ magnitudinis vas lymphaticum per ſummam fellis cyſtidem reptans, cujus cum lympham ſubflavo colore tinctam conſpicerem, croceamque circa hepar eſſe affirmet Clariſſimus * Franciſcus de le Boe Sylvius, practicæ Medicinæ,

* *In Diſput. de vaſis Lymph.* §. 7.

dicinæ, in Academia Leydensi Professor dignissimus, alterum ad perscrutandum hoc phœnomenon sensum adhibui, & ut fellis colorem oculis, ita ejusdem saporem gustui exhibuit. Hinc ego (rectè an perperam penes lectorem esto judicium) ita ratiocinabar. Hoc vas lymphaticum circa folliculum fellis sugit lympham amariorem; ergo lympha hæc extra arteriarum vasa delata fuit. Si lympha, etiam sanguis, qui postea ad venas pervenit, quis enim separasset? & si venarum esset cum arteriis anastomosis, quod * Riolanus vult, quomodo venæ succum illum, qui in arteriis adhuc dulcis erat, non unà cum sanguine transsumpsissent? Si autem vasorum lymphaticorum cum arteriis etiam ponas anastomosin, quomodo amarus est redditus, cùm vasa illum transsumpserint dulcem, qualem in arteriis reperiebant. Ergo videtur vero proximum sanguinem ex arteriis ad partes nutriendas in eas effundi, & nutritione peracta vasa lymphatica; lympham; venas, sanguinem superfluum, sive attractione suâ, sive impulsione aliunde factâ (non enim hanc litem hîc moveo) recipere, ut ea deinde per ambages quæque suas ad subclaviam, indeque ad cor rursus per arterias effundendum deferant. Fortè aliàs dabitur hoc probandi locus; nunc valeat, quantum potest, observatio.

* *Anthrop. lib. 3. cap.* VIII.

OBSERVATIO VI.

Decem uvæ poſtquam ultra tres menſes in ventriculo hæſerant, integræ & ſucco plenæ ejectæ.

VEntriculus, qui nutritionis primus artifex, & proinde accretionis & ſanitatis prima quaſi cauſa; etiam morborum fere omnium, quando aberrat, eſt pater. Hîc tantùm obſervabo in eo ſæpe latere chronicorum morborum fundamenta, quæ ſæpe incantamenti, aut aliorum mali genii, ut vocant, effectuum, ſuperſtitioſis dant ſuſpicionem.

Fuit cùm vomitorio ſemel iterumque repetito, (quod in ſimilibus, ubi præceſſerint, quæ ars adhibenda præſcribit, fere unicum eſt remedium) eduxi rete quoddam, tanquam artificio humano contextum, quod putabant arte magicâ ibidem fuiſſe genitum, & liberabat rete illud longiſſimâ invaletudine hominem, quâ captus, diutiſſime inter vitæ tædia & mortis vota fuerat conflictatus. Aliàs vermes vel magnitudine ſtupendos, vel numero ſpectandos & in globum convolutos, qui annos multos homines inſcios quo tandem incantamento torquerentur, vomitoriis præſtantibus educi, & Medicorum multorum, & noſtrâ etiam frequenti conſtat experientiâ. Quod autem crudam ſubſtantiam, ſive intus genitam, ſive extrinſecus aſſumptam diutius retinere poſſit ventriculus, notabili hiſtoriâ docuit fabri cujuſdam filius, qui anno M. DC. LXVI.

menſe Octobri triginta circiter uvas integras, non manſas, aut fractas devoraverat: ex quibus tribus conſequentibus menſibus nullum ſenſit incommodum: poſtea in tam frequentes & graves incidit lipothymias, ut ſæpius videretur redditurus animam, non niſi leni interim vexatus, ſed perpetuâ febricula. Advocatus ego leni cathartico & confortativo, roboratâ ſimul & irritatâ expultrice potentiâ, ejecit decem ex uvis jam dictis, adhuc pelliculâ ſuâ veſtitas, & ſucco plenas; quo levatus onere puer convaluit. Hæc fere aſtruerent fidem aliquam obſervationi * Bartholini, ubi non ſuâ, ſed aliorum fide narrat, etiam infantes concipi & formari poſſe in ventriculo, qui poſtea ore pariantur: adſtruerent, inquam, fidem aliquam, quoad moram in ventriculo, niſi alia hîc retinerent auditoris aſſenſum, quapropter, oporteat hîc, ſi non ἀπιστεῖν, ſaltem ἐπέχειν.

O B-

* *Obſervat.* XCVIII. *Cent:* V.

Observatio VII.

Vena & arteriæ umbilicales longo post nativitatem tempore apertæ.

QUod hac observatione observandum propono, forte aliis etiam quibusdam compertum fuit. Ego in puero octavum vitæ mensem agente, reperi venam & arterias umbilicales apertas; quas in rei testimonium servo. Hujus umbilicus omni isto, quo vixit, tempore stillaverat sanguine, quod mihi hujus symptomatis dabat indicium. Quoniam autem de venâ umbilicali hîc incidit mentio, adverte, quod optimè notavit Expertissimus * Gualterus Needham, venam umbilicalem, dum ex umbilico egreditur, semper duplicem, præterquam in homine. De vacca, cane, ove, & quotquot ego secui animalibus, meum adjicio calculum, de ceteris facilè authori tam accurato & docto adhibeo fidem. Verba autem † Nathanaëlis Highmori laudatissimi Anatomici, ubi ait. *Vena umbilicalis ex scissurâ quadam hepatis, in fimbriâ ejus anteriore sita, prodit, & per geminas peritonæi membranas delata, ad umbilicum tendit, nonnunquam geminata, uti in vaccis semper reperire solebam.* Propter viri reverentiam sic interpretor, ut illud, *uti in vaccis semper reperire solebam*, referam solummodo ad illam geminationem venæ umbilicalis, non

* *In tract. de formato Fœtu, cap. 4.* † *Lib. 1. part. 4. cap. 7. de corp. human. disquisition.*

autem ad locum ubi geminetur : licet enim nonnunquam in vaccis, imo & in homine geminetur, antequam ad umbilicum perveniat, id tamen in utrisque extra ordinem fit, at geminatio iſta venæ umbilicalis, quam in vaccis ſemper eſt invenire, non fit; niſi poſt egreſſionem ex umbilico.

OBSERVATIO VIII.

Anaſtomoſin arteriarum cum venis ne quidem in cerebro ullam reperiri.

ANaſtomoſin venarum cum arteriis, quia nemo clarâ autopſiâ invenit, nec mihi in ea re magis lynceo, quam reliquis eſſe contigit, affirmare nec lubet, nec audeo. Scrutentur, qui volunt, meâ opinione non invenient. Scrutentur, inquam, dum eam viderint, vel certiſſimis & irrefragabilibus argumentis eam neceſſariam eſſe, licet non appareat, evicerint. Nam quod Vir, optimè de Anatomia meritus Thomas Willis, cujus diligentiam ſuſpicio, ſcientiam veneror, in Cerebri ſua * Anatome eam inibi reperiri, probare conatur, non eſt tale, ut quemquam ratione magis, quàm authoritate nitentem, nedum pertinacem convincere poſſit. Verba ejus de ſinibus cerebri, quæ de venoſo ſunt genere, loquentis hæc ſunt. *Undequaque ab his ſinibus, vaſa minora, ſcilicet canales venoſi dimittuntur, qui juxta interiorem ſive concavam duræ matris ſuperficiem exeuntes, ſtatim*

* *Cap. 6.*

ſtatim piæ matri inſeruntur, ejuſque protenſionem ſequentes, per totum cerebri, ejuſque intra cranium appendicis, ambitum, ac interiores quoſvis receſſus diſtributi, cumque arteriis complicati *ſanguinem ſuperfluum excipiunt, ac in majores iſtas cavitates important.* Verbis illis, quæ exſertè notavi, eum anaſtomoſin venarum cum arteriis intelligere, ex eo, quod ſubjungit experimento, moveor, ut in animum inducam meum. Pergit enim. *Rem ita habere plane conſtat, quoniam ſi liquorem atramento tinctum arteriæ tubulo injicias, iſte propagines arterioſas, ac demum venoſas trajiciens, ultimò in ſinus pervadet.* Ergo *arteriarum toti* ἐγκεφάλῳ *inſervientium rivuli omnes ſeſe exonerant in quatuor ampliſſima illa vaſa, quæ meninx continet.* Quod ante poſitum erat; quâ poſitione vel ille, vel alii ex illo intelligunt arteriarum cum venis anaſtomoſin. Permittet mihi, credo, Vir ille in veritatis indagatione, ex collegii, cujus membrum nobile eſt, genio candidiſſimus, ut ſcholaſticâ libertate negem conſequentiam. Ut enim experimento, quod difficilius aliquando eſt, non refrager: tantùm ex eo ſequitur humorem iſtum atratum inſufflationis vi extra arterias impulſum, cùm ibidem urgetur ſpiritu, plus humorum, quàm arteriæ capiunt, ſubmittente, quærere ſibi locum in quo deliteſcat, cùmque in corpore illo, per quod arterias egreſſus, violentâ ſufflatione pellitur, vel aperta inveniat, vel ipſe ſibi aperiat, & diffringat venarum diſperſa oſcula; quid mirum ſi ea ingrediatur? Occlamat huic non experimento, ſed concluſioni inde

inde elicitæ, experimentum aliud, quo certius, ut videtur, hæc arteriæ carotidis cum venis anaſtomoſis an quæ daretur, inveſtigavi. Immiſſo enim tubulo in arteriam, admotâque candelâ ad levi ſciſſurâ apertum ſinum, nullus unquam flammæ ex inflato per arteriam ſpiritu, perceptus eſt motus; argumento nobis ſatis probabili, nullam hîc dari anaſtomoſin, quam haud dubiè ſpiritus inflatus ſanguine multò ſubtilior inveniſſet. Dices: ſpiritus, quia ſubtilis eſt, per alios in corpore cerebri inventos meatus diſſipatur, antequam ad venarum juncturas perveniat. Diſſipatur is quidem & ſibi quærit exitum, dum ab alio ſpiritu pellitur, ſed exitum eum per venas non invenit, quemadmodum humor atratus, quia illa via non patet, nec ipſi neceſſe venas eas rumpere, aut oſcula eorum aperire, quia ipſi, ut ſubtiliori, dantur aliæ egrediendi viæ, qui humori craſſiori, cùm non ſint perviæ, ille ſcilicet vi adactus perfringit, ut dixi, venas, eaſque adimplet ſuo corpore, tingitque nigredine.

Nonne idem uſuvenit in iſto experimento Franciſci Gliſſonii, quod in *Anatomia Hepatis cap.* 33. fuſius deſcribit. Dum album liquorem per portam in hepatis primùm parenchyma immittimus, qui deinde, ſi inflando urgeatur, ad cavæ ſurculos, ipſamque venam cavam ſe diſpergit: & tamen affirmare auſim, primùm ratione ductus; quia prius per ipſum hepatis parenchyma diffunditur, quàm cavam intret: deinde etiam tot hepatum, quæ excarnando exami-

examinavi, experientiâ doctus, nullam esse portæ cum cava anastomosin; quamvis toties ambas has venas usque ad capillarium minutissimas propagines ab omni parenchymate, & à se invicem separaverim, distinctasque, prout observatione XCVI. eas delineavi, servaverim; nunquam tamen ullum inveni certum anastomoseos vestigium. Quare ne ex hoc quidem experimento infallibiliter concludi arbitror, illam arteriarum in cerebro, nec alibi uspiam cum venis osculorum communionem, quam, qui propter circulationem sanguinis introduxerunt, non subsidium aliquod, aut firmamentum, sed offendiculum potius & exitium suæ conquisiverunt sententiæ; quia hac anastomosi ob circulationem introducta, non tam facilè explicabitur, quomodo fiat partium nutritio, & cur sanguis ab arteriis in nutrimentum corporis impensus, denuo corrigendus & exaltandus, à venis ad cor deferatur.

Quod si quis contendat non hanc fuisse Viri præclarissimi mentem, ut supra allatis verbis istam anastomosin astrueret; is sciat, me consequenter non eum impugnasse, sed eos, qui hoc ex iis colligunt, quos tantùm volebam admonitos, hoc perperam inferri ex allato supra experimento.

OBSERVATIO IX.

Arteriæ umbilicales non uno ſemper exoriuntur loco.

MIrantur quidam, nec immeritò, etiam inter Anatomicos, qui nihil, niſi quod oculis viderunt, manibus tetigerunt, ſe allaturos profitentur, eſſe tantam ſententiarum pugnam, ut alius hoc, aliud alius eadem de re pronuntiet. Hîc ego non viris minus, à quibus & ipſe nonnunquam abeo in alia omnia, quàm arti toti Anatomicæ patrocinabor.

Luſus naturæ, ut omnibus in rebus; ita in corpore humano ſunt varii & mirabiles; adeo ut, quod fortunæ proprium eſt, conſtare in inconſtantia ſua, non alienum videatur à natura univerſa, quæ propoſitum habet, ſemper variare, & non aſtringi certis legibus, quas dare amat, & non accipere: itaque dum Anatomicorum unuſquiſque in paucis, quæ cuique ſecanda obtingunt ſubjectis, alius aliam invenit quaſi ludentis naturæ petulantiam, ſcribit id quod vidit & reperit, alius aliâ ſcenâ deluſus narrat, quod ipſi ſpectandum fuit exhibitum. Fieri autem poteſt, ut quiſpiam in illis, quæ ſibi oblata ſunt ſubjectis, rem ſemper hoc vel illo modo ſe habentem, contemplatus fuerit, ſed hinc non continuò infertur non aliter aliis apparuiſſe. Rem in arteriis umbilicalibus, veluti in exemplo declarabo planius.

Cla-

Clarissimus Gualterus Needham Anatomicus expertissimus in libro suo *de formato fœtu cap.* IV. ita loquitur. *Primo loco arteriæ* (umbilicales scilicet) *occurrunt , quæ vulgò à cruralibus oriri dicuntur , me tamen judice ab aortæ extremitate immediatè derivantur.* Credimus tibi , Vir doctissime , te vidisse eas ab arteriæ aortæ extremitate immediatè prodeuntes, & semper te ita vidisse, quia tam seriò ea super re tuam fers sententiam , credimus : sed tu , quæso , nobis quoque crede , qui eas ab aortæ extremitate sæpe , ab iliacis tamen ramis prodeuntes non rarò vidimus ; & cuique,ut videat, exhibere semper possumus. Æqui bonique ergo , Lector , consule nostram illam à Needhamo discrepantiam , & omnem eam , quam ex eodem capite in Anatomicis fluentem advertis diversitatem. Quod si à negantibus propositionibus cautiùs abstinerent viri illi , qui , ut publico prosint , tetros Anatomes non aversantur labores; profectò plus sibi commendationis , posteris minus parerent laboris.

OBSERVATIO X.

Hydatides ad Uterum, ceterasque partes repertæ, ab Hydrope distinguuntur.

IN puella, quæ vigesimum ætatis annum non longè prætervecta videbatur, hydatidem inveni testiculi sinistri locum occupantem, is enim aberat, quæ magnitudine ovum anserinum longè superabat. In cane item aliam ad magnitudinem ovi gallinacei, & alias sæpe circa alas vespertilionum, & tubos cæcos Fallopianos, quibus singulis sectionibus scrupulosè diem & annum semper adscribere fastidiosæ in me videretur diligentiæ, si facerem; & nimiæ in te diffidentiæ, Lector, si efflagitares: hoc potius mecum considera.

An non imposuerint hydatides istæ Medicis, qui nobis hydropem uterinum decantaverunt. Videsis observationes Amplissimi juxta ac Expertissimi Domini * Nicolai Tulpii, Consulis Amstelodamensis dignissimi, & Medici sicut in praxi felicissimi, ita in observationibus accuratissimi: hic adfert exemplum Cathalinæ Bonevalliæ, sic enim eam nominat, cujus utrumque uterinum cornu continuisse ait, novem circiter aquæ purisque libras. Sed bene, quòd licet hydropem cornuum uteri appellitet, vir tamen prudens aquam hanc purulentam non dicat intra cavitatem cornuum contentam fuisse; sed potius hanc

* *Lib. 4. Observ. 44.*

hanc noſtram ſententiam ſuſpicatus fuiſſe videtur; hoc morbi genus ad hydatides referendum eſſe: cùm addit *aquas has incluſas fuiſſe innumeris veſicis*, (hydatides videlicet cum aqua incluſa conſtituentibus) *quarum aliquas etiam oſtendebat extima uteri tunica.* Quod autem addit Ampliſſimus noſter Conſul, eandem rerum faciem Joanni Riolano eſſe obſervatam in illis uteris, quorum cornua produxêre, quos commemoravit, fœtus, Anthropograph: lib. 2. cap. 35. Rectè dicitur, quantum ad tumorem ſcilicet: ſed nihil hic tumor patrocinatur hydropi: intumuiſſe fatemur cornua uteri in Cathalina Bonevallia, intumuerat etiam locus teſticuli in noſtra, quam attulimus, puella; at non hydrope, ſed hydatide, hoc eſt, aquâ incluſâ ſuis pelliculis, quæ non eſt hydropica. Tu, quid dicendum ſit, expende: ego dixi, quid dici poſſit.

Imo dixit olim Hippocrates *lib. de internis affect: Fit enim hydrops, ſi tubercula in pulmone fuerint enata, & aquâ repleta, & in pectore rupta. Quod autem fiat etiam à tuberculis hydrops, teſtimonium habeo in bove, & in cane, & in ſue.* Audiſne ex hydatidibus fieri hydropem, & tunc fieri, quando rumpuntur, cognatum ergo hydropi ſunt malum, imo & ſæpe ejus cauſæ hydatides, ſed hydrops non ſunt. Confirmat ſententiam meam, quod hydatides variis in locis repererim: ſemel in ſex tantummodo menſium puella ad dextrum teſticulum magnitudine ovi columbini. In plexu choroide parvas item aliquot ſemel: ad venas

in parenchymate hepatis ſæpe : ad arterias rarò; quas tamen non lubet appellare hydropes iſtarum partium; quamvis aqua in iis purulenta veſiculis ſuis incluſa reperiatur. Attamen nolo de nomine contentioſum funem trahere, modò de re conſtet, & ſciatur hanc aquam non eâ ratione, quâ hydrops ſanatur, eſſe curandam.

OBSERVATIO XI.

Liene homines aliquando naturaliter, aliquando arte adminiſtrâ deſtituuntur.

UT res humanæ ſurgunt, cadunt, & rurſum, quæ cecidêre reſurgunt : ita & opiniones ſententiæque mortalium de rebus : fuêre ſæcula, quibus antipodes eſſe omnes uno ore affirmabant; ſucceſſêre Auguſtini & Lactantii tempora, quibus ii, qui ita ſentiebant, damnabantur; jam rideretur, imo inſanus haberetur, qui negaret : ita de motu terræ, & ſolis quiete in Aſtronomicis, jam probabile eſt, aut ut minimum tolerabile, quod annis abhinc quinquaginta tantùm non inter hæreſes computabatur : & quis ſcit, an de Lunæ incolis opinio, de quibus jam ſuſurrari audimus, non aliquando majorem accipiet à tempore probabilitatem.

In microcoſmo certè eadem eſt ſententiarum variatio : ut de circulatione ſanguinis taceam, quæ prorſus nova videtur ſcientia potius, quàm opinio. De liene Plinius, Fluddus, & alii ſentiunt, eo poſſe

carere

carere hominem, & commodè ſatis poſſe carere: ſucceſſère alii, qui rident eam & explodunt ſententiam: quid nos? XVII. Novembris anni M. DC. LXVII. & rurſum XXVIII. Aprilis anni ſequentis fœtus ſecuimus, qui liene carebant; quod inter ſeptuaginta fortè, quos ſecuimus fœtus, bis oblatum eſt uni, id non rarò contingere præſumendum eſt; invenirent ſi plures ſuam exercerent in ſecando diligentiam, & ſortirentur, quæ nobis contigit, ſubjectorum copiam. Addo, quod jam canibus eximere lienem, eoſque ſanos dimittere, luſus ſit; faciunt multi, & nos ſæpe primùm experientiæ, deinde quaſi animi cauſâ, ut incredulis confirmaremus noſtram ea ſuper re ſententiam, fecimus. Quis in hominibus, ſi ſectionis dolores ſuſtinere vel velint, vel cogantur, idem futurum neget? Hiſtoria certè, quam Fioravantius narrat de Græca muliere, cui lienem pendentem uncias duas & triginta exemit, & intra viginti quatuor dies curavit, ſatis liquidò probat hoc membro carere poſſe hominem, & vitam ſine incommodo tranſigere. Analogia etiam omnimoda, quæ hominibus in rebus naturalibus intercedit cum beſtiis ſuadet; tu ridendo non diſſuadebis.

OBSERVATIO XII.

Hermaphroditi.

ABſit ab hoc capitulo laſciva petulantia, & procul hinc, procul eſte aures profanæ & ſalaces. Medicis ſcribimus; quibus & tangere ſubinde permittit neceſſitas, quæ natura, ſollicita pudicitiæ conſervatrix, velanda curavit. Iis ergo non moleſtum erit audire, quid circa eas partes etiam extra ordinem aliquando ipſa illa omniparens mater moliatur. Obſtupuit mecum Guiljelmus de Penyn Amſtelodamenſi noſocomio præfectus Medicus, & aliquot celebres, qui aderant, Chirurgi, dum puellam ſeptennem viſitabamus, quæ anno ætatis ſuæ ſexto fluxionem menſtruam paſſa erat diuturnam & vehementem, atque ubi ea deſierat, pleuritide correpta fuerat; ac diu colluctata cum febribus eam ordinariè comitantibus, & hic diu etiam ſequacibus, tandem in regione pubis vehementiſſimos ſenſit dolores; parsque ea paulatim intumeſcens, anno ætatis ſeptimo, quo hæc oculis noſtris uſurpavimus, non puerum, ſed penem produxit, qui perfectus, & perforatus erat; ita ut urinam commodè per eum redderet, teſticuli jam etiam ſui prodebant initia, nam in ſiniſtro latere tangentibus occurrebat globulus, qui manui cedebat, omnium, qui aderant, judicio extra omnem controverſiam, teſticuli latitantis adhuc, ſed ſe foras prorumpere conantis argumentum.

Quam-

Quamquam autem parte recenter adnata urinam redderet, non tamen eandem minus commodè, quâ antea ſolita erat viâ, emittebat. Mirabamur iſta tam inſolita naturæ molimina, & quo tandem evaderent inter nos quærebamus, quod ſuccedentia docebunt tempora; vivit enim & valet hæc parva hermaphroditula, quæ non minus obſtupuit, credo, quàm famoſa iſta Anna Weylde Angla, quæ ne quidem per umbram ſuſpicans ſe aliam fore, quàm feminam, ſine ullo doloris ſenſu anno ætatis ſexto ſenſit prodire teſticulos, quibus decimo tertio adnatus eſt penis, ita ut utriuſque ſexus membra exhibeat, teſticulis etiam, quàm ordinarii virorum ſunt, majoribus, titillabatur utriuſque ſexus libidine, ſed quia penis non erat perforatus, ſemen, quod eum inflatum impleverat, ſiquidem id affirmanti fides poteſt haberi, deorſum per muliebria effluebat. Curioſa alia de hac perfectiſſima hermaphrodita referre poſſem, niſi illa per totam Europam penè vagata, penem & reliqua omnibus videnda, omnibus tangenda obtuliſſet.

Itaque aliud in hoc genere mirabile referam, quod etiam Amſtelodami viſendum fuit: puer eſt trium annorum, in quo nec teſticuli, nec ſcrotum apparet, ſed tantum virgæ cujuſdam imperforatæ exiguus tubus, & infra eum foramen, quod caput majoris aciculæ magnitudine non excedit, per quod urinam reddit ſine incommodo. Sed hiſce ſtupendis naturæ exorbitationibus tantiſper immoratum

 eſſe,

esse, sit satis. Legat, qui curiosior est hac super re, * Ausonii carmen, non unum hujus rei exemplum adferens, quod hîc tibi suis admetior numeris.

Vallebanæ res nota, & vix credenda Poëtis;
Sed quæ de vera promitur historia.
Femineam in speciem convertit masculus ales.
Pavaque de pavo constitit ante oculos.
Cuncti admirantur monstrum; sed mollior agna
Astitit in tenerum de grege versa marem.
Quid stolidi ad speciem notæ novitatis habetis?
An vos Nasonis carmina non legitis?
Cænea convertit proles Saturnia Consus,
Ambiguoque fuit corpore Tiresias:
Vidit semivirum fons Salmacis hermaphroditum,
Vidit nubentem Plinius Androgynum.
Nec satis antiquum quod Campana in Benevento.
Unus Epheborum virgo repentè fuit.
Nolo tamen veteris documenta arcessere famæ.
Ecce ego sum factus femina de puero.

Legat Fortunium Licetum de Monstris, & Martinum Delrio in disquisitionibus magicis, ubi hermaphroditum genuisse & peperisse narrat: alios ex feminis subitò in viros mutatos, alias ex aniculis in juvenculas, nec nugatur vir ille, tempus, locum, aliasque assignat circumstantias, quæ solent rebus fidem astruere.

O B-

* *Epig. 68.*

OBSERVATIO XIII.

Teſticuli in Juvene deliteſcentes.

QUæ de hermaphroditis ſuperius attulimus, excipiat non minus fortè admiranda quibuſdam obſervatio. Novi Juvenem poliendis adamantibus à parentibus deſtinatum, qui vocis dulcedine, & flexionis ejuſdem ſuavitate in ſtuporem rapiebat audientes. Conſtitutio autem corporis erat talis, ut teſticulorum ne veſtigium in vacuo magnitudinis exiguæ ſcroto appareret; is octavo decimo ætatis anno in febrem incidit acutiſſimam, quâ corpus urente, cùm circa verenda intolerabilibus cruciaretur doloribus, tandem teſticuli comparuerunt, ſed vocis illa ſuavitas omnino diſparuit. Stupuit ipſe eunuchus, quod per acerbiſſimos dolores ſe ipſum, ut ſic loquar, virum peperiſſet: ſed cur eunuchum voco? cùm feſtivè ſatis in libro quem curiosè admodum de virorum organis generationi inſervientibus conſcripſit Expertiſſimus Medicus, Regnerus de Graef, vetet eos vereri, qui tali corporis ſunt conſtitutione, ne litem actutum perdant, quia cum teſtibus non prodeunt: ubi etiam ex fide lanionis narrat, ſæpe, dum artis ſuæ imperiti arietes juniores caſtrare tentant, contingere, ut teſticulos digitorum compreſſione per proceſſum peritonæi in cavitatem abdominis propellant, ubi creſcentibus illis, etiam creſcit coëundi deſiderium, quamvis ad

finem vitæ ibidem delitescant. Sed redeamus ad Juvenem, qui hujus observationis præbuit materiam. Tam diuturnæ latitationis, & postea subitaneæ eruptionis causâ cognitâ minuet admirationem stupentibus, fidem augebit dubitantibus; suggessit eam nobis vitulus quidam, quem dum secabam, inveni in cavitate abdominis latentem utrumque testem, & constitutionem corporis talem. Tunica vaginalis scroti lateribus adhærens, inde angusto prædita canali egrediebatur, & paulatim dilatata, ubi ad duorum digitorum latitudinem ascenderat, testes continebat, formâ, quàm esse solent, paulò oblongiore: dum hæc vagina testium pondere dilatatur (unde dolor, dum sese in scrotum insinuare incipiunt) fit, ut tandem quâ datâ viâ in scrotum, id est, in locum sibi naturalem ruant. Quæ ibi fuit constitutio in vitulo, eandem suspicamur in Juvene; qui jam non minus promptè, quàm alii, militat in castris Veneris.

Observatio XIV.

A frequenti narium fricatione polypus, & ab illo mors.

ETiam in ſanitate conſervanda utile eſt illud obſervaſſe tritum omnium ore proverbium, exiguam ſcintillam ſæpe non exigui cauſam eſſe incendii. Vin hoc tibi in morbo, imo in morte oſtendam? Polypo laborabat juvenis quidam tam profundo, ut ad guttur uſque penetraret; tam potenti, ut naſi oſſicula loco moveret; tam fœdo denique, ut longè extra nares emineret: non exiguam hic morbus in miſeriarum humanarum iliade conficeret paginam, ſi quis hanc medicus vates conſcriberet, in qua pathos maximum excitaret, quando tantorum malorum, quibus hic, cum triſte ſui omnibus feciſſet ſpectaculum, tandem exſtinctus eſt juvenis, maximè cum adderet innoxiam, & puerilem propemodum cauſam, quam jam audies.

Conſuetudo ei fuerat ſæpe digitis interiora narium fricare, quod cum fere (ut aſſiduitate invaleſcunt mali iſti mores, quibus circumſpectio quædam ſui non adhibet modum) faceret aſſiduò, primò inflammari cœpit naſus, deinde oriri, quem dixi, polypus; qui miſerum enecavit miſerrimè. Tantum ex tantula ſcintilla, quis exſpectaret, quo tota conflagraret domus, incendium? Retuli hoc ad cautelam eorum, qui vix unquam manus à na-

ribus abſtinent, ne ſimiles ibi reperiant, quos perpetuò ſcrutari videntur, theſauros; & eò retuli libentius, quod Anatomiæ quoddam ſpolium videatur ad ſpectaculum ſervatus hic à me polypus. Alterum ſubjungo, quod mihi in praxi occurrit, triſte ſimilis incendii exemplum de femina, quæ dentes aciculis, purgare ſolita, cùm id invaleſcente conſuetudine facit frequentius, inde gangrænam contraxit, gangræna mortem peperit; hæc & ſimilia ad cautelam non parum facere poſſunt iis, qui malis iſtis moribus vel imbuti ſunt ipſi, vel aliis, ne imbuantur, ex officio debent providere.

OBSERVATIO XV.

Odorifera corpori unico temporis momento vel prodeſſe, vel nocere.

QUorum cauſa latet, ea mira videntur ignorantibus, quorum actutum perit raritas, ubi cognitio ignorantiæ diſcuſſit tenebras. Vix fidem inveni apud quoſdam, dum narrarem de ruſtico, qui fiſtulâ laborabat in humero, me percepiſſe dum cepas ore maſticabat, ſtatim earum per fiſtulam efflari odorem. Addam & hoc, utens licentiâ medicâ, quod Chirurgus retulit, ſe, dum uxor puero mammas præberet, ipſaque, quod ventris doloribus torqueretur puer, ſpiritu vini aniſato uteretur, percepiſſe, quos infans emittebat flatus, aniſum redoluiſſe. Quis credat ſubitam hanc per tot ambages vel alimenti,

menti, vel medicamenti diffuſionem, niſi is, qui non neſcit, ſpiritus odoriferos non egere craſsâ quadam aut corpulentâ ſubſtantiâ, quæ eorum ſit vehiculum; cùm videamus luminis inſtar odores ſubitò per totum aliquod cubiculum, ſimulatque infertur materia odorifera, diſpergi; cumque totum hominis corpus adeo ſit perflabile, non opus eſſe, ut odores hi tranſierint eas vias, per quas ſubſtantia nutritiva eſt perducenda, ut ipſi qualitate ſua vel proſint, vel noceant.

OBSERVATIO XVI.

Cor ſtupendæ magnitudinis.

PEndet cor hominis plus minus ſeptem unciis. Nam cor hominis per ſingulos annos ad binas drachmas augeri, idemque poſt quinquageſimum annum eadem proportione minui; (unde referente, poſt Herodotum, Plinio Ægyptii exiſtimabant, non ultra centeſimum annum hominem vivere,) jamdudum exploſa ſententia eſt. Penderet enim ſic cor hominis ordinariè uncias plus quàm duodecim, cui experientia repugnat. Ecce tibi nihilominus unum viginti duarum unciarum. Exſecui illud anno M. DC. LXVIII. in noſocomio Amſtelodamenſi è feminæ quadragenariæ circiter pectore: ſola dextra auricula æquabat cor hominis ordinarium magnitudine, cetera vaſa ſe intra vulgarem menſuram continebant; ſed arteria pulmonaria, & vena cava deſcen-

ſcendens exceſſerant modum : nec enim hujus os patens argenteo Imperialis nummo, nec illius medio occluſiſſes. Alterum obſervatione, non indignum, eſt, quod cùm authores paſſim venam pulmonariam biſariam diviſam ad utrumque pulmonis lobum, tendere animadvertant, hîc ea triſariam diviſa conſpiciatur, tribuſque diverſis ramis, iiſque magnis, pulmones petat. Tertium quod hîc ſpectatorem oblectabit, ſunt chordæ per auriculam extenſæ iis, quæ in corde ipſo inveniuntur ſubſtantiâ & officio ſimiles, quas carneas columnas Veſalius & Riolanus;carneas particulas Bartholinus; parvos muſculos Maſſa; funes & retinacula Backius nominant. Nos cum Maſſa veros muſculos eſſe putamus, quia eorum perfectè officio funguntur, & tamen, quia tenues & exiles ſunt, non abſurdè cum Backio funes ſeu chordas appellamus : in hoc enim gigantæo noſtro corde ita ſunt perſpicuæ, ut officio ſuo, vel contrahendi auriculam, vel retinendi eam, ne ad rupturam uſque pellis ſuæ extendatur, manifeſtè fungi videantur. An magnanima fuerit hæc magni cordis femina, non ſcio; illud intellexi ſæpe illam multumque bibere ſolitam. An ideo potatores noſtri tam rixoſi & jactabundi, quod cor eorum potationibus augeatur ? non exiſtimo.

Tabula

Tabula V. ad Observationem XVI. cor stupendæ magnitudinis XXII. unciarum depingit.

A. *Cor.*

B. *Arteria pulmonaria, cujus os patens medio Imperiali non poterat claudi.*

C. C. C. *Ora venæ cavæ, Imperiali argenteo non occludenda.*

D. *Auricula dextra magnitudine suâ cor hominis ordinarium adæquans hîc aperta, ut chordæ seu funes clarius appareant.*

E. E. E. *Musculi exiles, quos funes seu chordas appellamus.*

F. *Foramen ovale membranâ suâ tenui & semper pellucidâ tectum.*

G. *Cavitas ventriculi dextri.*

H. *Auricula sinistra in situ suo.*

I. I. *Bini ingressus venæ pulmonariæ in cordis sinistram auriculam.*

K. *Tertii ingressus venæ pulmonariæ convexitas : apertura enim ejus hîc simul cum aliis exprimi non poterat.*

L. *Locus aperturæ tertii ingressus, qui depingi non potest.*

M. *Vena cava ascendens.*

N. *Arteria magna.*

a. a. a. *Funes seu chordæ auriculæ sinistræ.*


Tab. V
B
N
M
L
K
C
E
E
D
E
I
a
I
a
a
H
C
F
G
C
A

OBSERVATIO XVII.


Cor ſolitâ magnitudine minus.

NAtura Dei opus & imitatrix Dei, quàm gaudet in magnis ludere, tam amat in parvis aliquando oſtendere magnitudinem ſuam. Excedebat menſuram humani cordis id, de quo locutus ſum, hoc, de quo jam agemus, longè infra eandem conſtitit.

Eſt cor pueri novem annos nati, quem XIX Martii anni M. DC. LXVIII. ſecui. Laboraverat is febri hecticâ per quinque ferè annos: cor autem nobis mortuus oſtendit durum, quod hîc tibi æri inciſum, domi conditum exhibere poſſum, longè infra ætatis ſuæ magnitudinem; vaſis tamen præditum tam amplis, ut viri perfectæ ætatis capacitatem æquarent. Pericardium laxè illi erat circumdatum, ſalſo liquore repletum. Apparebant in eodem ſubjecto, & alia miſeriæ humanæ, ad quarum ſpectaculum tantùm editum in lucem videbatur, phænomena: pulmones indurati coſtis adhæſerant; omni ſui parte purulentâ materiâ expleti. Folliculi fellis tunica virilis magnitudinis nigricantem quandam ſubſtantiam imbiberat. Ita in lentis iſtis morbis unus naturæ error errores multos & multas mortis unius cauſas inducit. Sed quæ cauſa cordis vaſa ita dilataverat? an non per febres tam diuturnas circulatio & fluxus ſanguinis vehementior?

Tabula VI. ad Obſervationem XVII. repræſentat cor pueri novennalis longè infra magnitudinem ordinariam, ſed vaſis præditum ampliſſimis, eâ præcisè magnitudine, quâ repertum eſt, expreſſum.

A. *Cordis minoris ſubſtantia.*
B. *Vena cava deſcendens.*
C. *Vena cava aſcendens.*
D. *Arteria magna.*
E. *Arteria pulmonaria.*
F. *Vena pulmonaria.*



OBSERVATIO XVIII.

Glandulæ meſenterii inſolitæ magnitudinis.

VIr quadragenario major jam per decem annos conquerebatur de doloribus circa regionem ventris, qui quotidie magis magisque ingraveſcentes, tandem hominem emarcidum, & quaſi tabe confectum anno M. DC. LXVIII. unà cum vita deſeruerunt. Ego ad inquirendum incogniti morbi originem admiſſus, inveni binas meſenterii glandulas (jam glandes dici poterant, in tantam enim excreverant magnitudinem, ut quindecim penderent uncias) decuſſatim ſibi mutuo incumbentes, quæ renem ſiniſtrum ita compreſſerant, ut pene totus in pus eſſet converſus: glandulæ autem nullum in ſubſtantia contraxerant vitium, ſolâ magnitudine peccantes; aſſervantur illæ curioſis oculis ſpectandæ inter Anatomiæ noſtræ raritates.

OBSERVATIO XIX.

Animalia in aure genita.

ASpice mihi, candide Lector, animal hoc attentius. Talia prodierunt multa anno M. DC. LXIII. ex aure viri cujuſdam, qui pagum dictum *Quadÿck* incolebat. Inflammabatur primùm auris cum ſummo dolore, deinde ſuppurabat, apertâ poſtmodum vomicâ reddebat materiam craſſiuſculam, diſcolorem, graveolentem, & tandem ſeſe in apertum dederunt hi, quos depinxi hoſpites. Qui an ipſi, an materia acrior tympanum eroſerint, neſcio: hoc ſcio, quod hoſpiti ſuo hoſpitii mercedem, reliquerint ſurditatem.



OBSERVATIO XX.

Quæ ligamenta dicuntur uteri veſpertilionum alis aſſimulata, eum non ligant.

DE ligamentis uteri adferam principum aliquot Anatomicorum ſententias; deinde experientiam noſtram illis opponam.

* Veſlingius ergo de utero, uterique ligamentis ſic loquitur. *At ſuperius ligamenta requirebantur ſingularia, robuſta quidem, ſed laxa, ne uteri à fœtu concepto tumentis incrementum impediretur. Horum igitur primum, quodque in lateribus conſpicitur, peritonæi quædam expanſio videtur. Eſtque adeo membranoſum & latum, ut tubis ac teſtibus, ſundique protuberantiis attenſum, matricem ilium oſſibus alliget, figurâ veſpertilionum alis aſſimulatum; hoc immodicè laxato, aut per vim fortuitorum disrupto, uteri fundus ſuper vaginam concidit, ſæpeque excidit: vel in latera prolapſus, atque inguina, læſo peritonæo herniarum faſtidia accerſet.* † Bartholinus. *Ad latera verò annectitur per ligamentorum duo paria, quorum uſus uterum ſuſpenſum tenere. Unum par ſuperius eſt latum & membranoſum.* Deinde. *Laxum & molle eſt, ut extendi & contrahi queat.* Tum. *Atque hujus paris beneficio alligatur fundus oſſibus ilii.* Et poſt. *Laxatur autem aliquando hoc ſive ligamentorum, ſive muſculorum par (ut per vim, difficultatem partus, pondus fœtus &c.) ut fundus uteri in ſinum decidat, & inverſa aliquando cervice, atque aliquando extra propendens abſcinditur.*

An-

* *Syntagmate Anatomico cap.* VII. † *Anatomia reformata lib.* I. *cap.* 28.

* Andreas Laurentius. *Horum vinculorum usus mirabilis, est cum enim sæpe per totum ventrem oberret uterus dum est infructuosus; nunc vel ad præcordia & hepar, ἰκμαλέον fontem gratiosi vaporis recurrat; nunc per latera vagetur, nunc deorsum feratur, dum libidinis furiis agitatur; debuit vinculorum operâ hujus motus tanquam fræno coërceri, totumque illius corpus, ne ob gravissimum grandioris animalis & gemellorum pondus, ob ingentes conatus, & summos in partu enixus procideret, vicinis partibus alligari.* Et post. *Alligatur ergo uterus vicinis ossibus per ligamenta illa propria.*

Audis uterum per ligamenta illa vespertilionum alas assimulantia ossi ilio alligatum. Vides apud Laurentium uterum totam ventris regionem perambulantem, apud ipsum & alios procidentem & excidentem. Parcant metu viri illi, parcant & feminæ ab illis persuasæ, quod uterus aliquando excidat.

Quamvis affirmemus illas expansiones peritonæi vespertilionum alis assimulantes, quas perperam ligamenta superiora vocârunt, nec ossi ilio, nec cuiquam alteri alligari (fluctuant enim libera) tamen periculo omni, ne uterus excidat, posthac omnes liberamus: nemo vidit, nemo sensit: decepti omnes imagine falsâ, alios decipiunt: laxitas quædam colli, quæ extra pudendum prominet, hæc nobis fecit ludibria. Inspice, quæso, quisquis Anatomiam & veritatem amas, constitutionem uteri, quantis parieti-

* *Historia Anatom. lib. 7. cap.* XI.

rietibus ſit ſeptus conſidera, & mecum re ipsâ, & oculari inſpectione convictus ſenties. Ligamenta autem illa ſuperiora nec tu Laurenti, nec vos Anatomiæ heroës unquam alligata vidiſtis, ſed ex opinione vulgari affirmaviſtis. Ignoſce, quæſo, Lector, libertati meæ, quæ vidi loquor, toties ea examinavi, nunquam alligata, ſemper inveni liberrima.

OBSERVATIO XXI.

Papilla duplex in uno feminæ ubere.

NOn omnia cultro debemus, quæ rara vidimus. Sunt in corpore humano quæ Anatomico offeruntur, antequam ſcindat, quæ non ad aliam, quàm hanc Medicinæ partem referuntur: poſſem ea dare non modio, ſed toto horreo, niſi iis magis paſcere lectorem eſſet propoſitum, quæ interius latent, & non niſi artificiosâ ſectione eruta prodeunt in lucem. Obiter ergo referam quod ſecundâ Octobris anni M. DC. LXVII. oblatum eſt oculis meis ſpectaculum feminæ, quæ ex dextra mamma lac duplice fundebat papillâ, quo jam annos quatuor infantem aluerat, & etiamnum alere poterat; rorabat enim adhuc utraque papilla lacte. Altera locum à natura deſtinatum tenebat; altera verſus axillam ad latitudinem transverſorum quinque digitorum deſcenderat; hæc lacte manabat copioſiore, haud dubiè propter ſitum inferiorem.

Addam hîc, quandoquidem mammarum inci-

dit mentio, alium brutalis petulantiæ lusum, cui natura mirabiliter videbatur colludere iis, qui rei admirandæ fuêre spectatores. In domo alicujus mihi cognatæ alebatur, ut fit, ad delitias canis quædam melitæa, formâ inter paucas commendatâ; huic, ut sic dicam, coalumna erat felis domestica, quæ quotidianâ consuetudine caniculæ facta familiarior, dum cum illa petulanter ludit, cœpit ore papillas ejus apprehendere, sugere, & eo se lusu sæpius de die oblectare: canicula omnium, qui in domo erant, testimonio, nunquam mater, nunquam gravida fuerat: & tamen quotidiano isto suctu (quis credat, nisi viderit? ego vidi, & ideo narro) papillæ tandem manare cœperunt lacte candidissimo, quo se felis quotidie pascebat, tantâ inter utrumque animal petulantiâ, ut oculi domesticorum castiores diutius non ferentes sitûs, & gestûs, quo ludebant, lasciviam, utrumque è domo ejecerint. Prodibat tandem lac istud tantâ copiâ, ut quilibet emulgere digitis è papillis posset; erat autem gustui, quod curiositatis causâ expertus sum, non ingratum lac istud virgineum.

OBSERVATIO XXII.

Monſtrum polydactylon.

DUm obſervationibus hiſce meis in unum faſciculum colligendis intendo; aliquid augendo cumulo, qui Amſtelodamum alluit *Ya* fluvius, dedit. Menſe enim Octobri anni M. DC. LXVIII. ad urbis Magiſtratum defertur infans ejus in flumine inventus, qui ſtatim à nativitate in aquam projectus videbatur; viſitatur eâ, quâ in ſimili eventu fieri ſolet, diligentiâ, extrahitur puer; cùmque monſtroſus adeo videretur, ut nec ſuperſtes eſſe potuiſſet, nec ſi eſſet ſibi, aut ulli mortalium foret uſui: non tam diligenter inquiſitum eſt, unde fluvio injectus eſſet inutilis vitæ puer, quàm conſideratum, quid ex mortuo vivi capere poſſent emolumenti.

Permittunt ergo urbis Scabini, ut ad Fredericum Ruyſch, qui publicum ibi ſumma cum laude agit Anatomicum, deferatur. Is monſtri ſceleton conficit, quod mihi ab eodem humaniſſimè oblatum, tibi, quâ poſſum, Lector, communico, ut tu ſine ullo laboris faſtidio curioſitatem tuam paſcas inſpiciendo ſceleti monſtroſi figuram, quod ille labore non exiguo, Bibliopola quali quali ſumptu tibi ſpectandum exhibet: dum illud tu miraris, ego quid potiſſimùm in eo ſit admirandum, quaſi digito demonſtrabo.

Primò omnium caput immane quantum alio-


rum puerorum capita magnitudine ſuperaret : proinde fontanellæ etiam apertura duplo quàm in aliis major. Naſi oſſicula non quâ in ceteris figurâ, ſed inferius verſus utrumque latus flectebantur. Oculorum orbitæ verſus latera inferiùs deſcendentes multùm ab orbiculari rotunditate deflexerant, præterquam quod maxillæ ſuperioris os primum, quod eam infernè conſtituit, gibbosâ extuberantiâ, deforme ſe ſupra os jugale extenderat. In maxilla inferiore hoc mirum, quod jam tum coaluerat, & in ipſo coalitionis loco tam in anteriore, quàm poſteriore ſui parte quaſi criſta quædam oſſea exſurrexerat; major tamen in poſteriore, quàm parte anteriore : circa articulationem cum oſſe temporum longiuſcula duo maxillæ accreverant cornua, deſinebatque infernè mentum in acumen prorſus monſtroſum. Coſtæ non numero (duodecim erant) ſed magnitudine ac figurâ peccant; præterquam enim, quod intra mediam partem debitæ magnitudinis ſubſiſtant, arcuali quadam curvitate monſtroſæ ſunt. Sternum in unum coaluerat oſſiculum, ex tribus, quantum apparet, concretum, eâ, quam imago ejus exhibet, figurâ. Jam pectoris totius cavitas, propter coſtarum brevitatem neceſſariò in arctum compacta, & valde anguſta erat; attamen tam luculentam ſibi carnem induxerat, ut dum eâ tectum eſſet monſtrum, nulla ibi appareret monſtroſitas, quæ in artubus tam ſuperioribus, quàm inferioribus ſeſe potiſſimum prodebat. Inſpice enim mihi illud os humeri

meri breviſſimum, illum cubitum, radiumque, qui præter morem pares craſſitie nequaquam mediam longitudinis debitæ partem explebant. Inſpice manus, dextra ſeptem, totidemque ſiniſtra numerat digitos, & præterea ex auriculari rotunda quædam dependet appendix, tanquam ſi adhuc alium formatura nondum ſuam expleſſet natura luxuriem: luxuriat autem adhuc magis in formandis pedum digitis, dexter enim octo, ſiniſter novem inauditâ hactenus oſtendit fœcunditate. Aſcendamus ad focilia, horum longitudo magnitudinem unius transverſi digiti, os femoris autem duorum non excedit. Majus præterea focile,quod craſſitie ſuâ æquabat os femoris, ad latera per totam ſuam longitudinem cartilaginem oſtendebat, nondum oſſeam. Videſis, quot evagantis naturæ errores in uno ſint monſtro conſpicui,quod ſequens confirmabit obſervatio, ubi monſtroſius etiam produco monſtrum.

Tabula IIX. ab Obſervationem XXII. oſtendit fœtus polydactyli variam monſtroſitatem.

A. *Fontanella duplo quàm in aliis infantibus major.*
B. *Naſi oſſicula verſus latera inflexa.*
C. *Oculorum orbitæ deformes.*
D. *Maxillæ ſuperioris os ſupra os jugale extenſum.*
E. *Criſta anterior maxillæ inferioris, jam tum coalitæ.*
F. *Coſtæ breviores, & malè conformatæ.*
G. *Sternum in quo notantur tria oſſicula ex quibus in unum coaluerat.*
H. *Os humeri breviſſimum.*
I. I. *Cubitus & radius pares craſſitie, mediâ parte debito breviores.*
K. K. *Manus ſeptem habentes digitos.*
L. *Appendix ad auricularem.*
M. *Pes dexter octo digitorum.*
N. *Pes ſiniſter novem digitorum.*
O. O. *Focilia transverſi digiti longitudine.*
P. P. *Oſſa femoris duorum transverſorum digitorum longitudine.*
Q. Q. Q. *Focile majus, craſſitie par oſſi femoris, cui cartilago non eſt appicta, quia latera occupabat.*

Tab. VIII



Observatio XXIII.

Monſtrum cacodæmonis picturæ, quàm humanæ figuræ ſimilius.

EN alterum naturæ aberrantis, an præpotentis imaginationis, an utriuſque prodigium. Nunquàm enim viam ſuam deſerit omniparens illa rerum mater, niſi violentâ causâ aliquâ ab ea depellatur, quæ cauſa ſemper adeſt, licet ſæpe à nobis ignoretur: hîc certe fuit matris deſperatiſſima paſſio, & ex ea vehementiſſima cum variis terroribus imaginatio. Cùm enim muliercula, promiſſionibus variis, inter quas ſpes matrimonii, & nunquam ſe deſerendi juramentum perſuaſa, ſeſe Italo cuidam corrumpendam dediſſet, ex eoque concepiſſet, ille promiſſa ſua ſus deque habens, abiit, nec poſtea ullum unquam ſui, nedum amoris ſui fecit indicium.

Hîc mulier ſe deſertam, vitio infamem, prole gravatam, paupertate oppreſſam, & omnibus contemptam fore perſpiciens, vehementius ſtatum illum ſuum apprehendere, ex decepto amore in furias & deſperationem agi, diras omnes, quæ emota ſedibus ſuis mens excogitare poteſt, in perfidum jacere, jam ſibi cum malis geniis congreſſam videri, jam monſtri ſe quid alere, quod parentem ſimilem referret: eô denique adduci, ut neceſſe fuerit ei perpetuas adhibere cuſtodias, ne mortem ſibi lugubri quadam tragœdiâ conſciſceret: inter perpetuas haſce furias (etenim

(etenim ſana non erat, quæ nihil præter ejuſmodi vigilans cogitabat, dormiens ſomniabat manias) Novem complentur menſes, & ecce poſt graviſſimos parturitionis labores, prodit hoc, cujus hîc ſceleton vides, ſpectaculum. Diabolum non hominem eſſe conclamitant mulierculæ: dumque quid eo faciendum inter ſe deliberant; rerum earum utpote ad profeſſionem ſuam facientium curioſiſſimus ſuperius à me laudatus Fredericus Ruyſch ſupervenit, & monſtrum ab avaris, quæ funus & puerperam curabant harpyis, redimit, mihique hîc delineandum tradidit.

Caput certè, quod ex ſceleti figura etiam apparet, nihil habebat quod hominem referret: facies ſimiæ, eique deformi ſimillima: cranium nec cerebrum, nec cavitatem ullam habebat, quæ cerebrum reciperet, neque in orbem erat efformatum, ſed os quoddam planum, variè tamen protuberans, ſuperne depreſſum, totum cerebri, & cranii cerebrum continentis ſupplebat locum. Deprimebatur tota capitis moles in partem anteriorem, & reliquo trunco vix exiguâ ſui parte adhærebat; ſuperius cornua quædam, qualia pictores geniis malis penicillo ſæpe affingunt, & mater ſibi imaginando ſæpe depinxerat, conſpiciebantur; hæc tamen ex carne ſolummodo erant efformata, nec in oſſe ſui impreſſerant ſpeciem. Jam ſpina dorſi bifurcata uſque ad ſextam colli vertebram aperta, in utrumque latus diſceſſerat, nec ullam continebat medullam ſpinalem. Re-

liqua hominem referebant, nec multùm abludebant ab ordinaria mortalium figura.

Tabula IX. ad Obſervationem XXIII. caput monſtroſum & ſpinam bifurcatam exhibet.

FIGURA I.

Hîc caput monſtroſum præcipuè oſtenditur.

A. *Facies ſimiæ ſimilis.*
B. *Os variè protuberans loco cranii.*

Cetera ſeſe cognoſcenda exhibent.

FIGURA II.

Capitis in anteriorem partem flexuram proponit.


A. *Capitis moles in anteriorem partem depreſſa.*
B. *Pars ſpinæ bifurcatæ.*
C. *Scapula.*
D. *Os variè protuberans loco cranii.*
E. *Os humeri.*

Reliqua ex figura ſunt nota.

FIGURA III.

Spinam bifurcatam delineat.

A. *Poſterior pars capitis.*
B. B. *Scapulæ.*
C. C. *Coſtæ.*
D. *Locus ubi ſpina bifurcatur.*
E. E. *Latitudo ſpinæ bifurcatæ.*


Tab. IX
Fig. I
B
A
Fig. II
D
B
A
C
E
Fig. III
A
E
E
B
B
C
C

OBSERVATIO XXIV.

Etiamnum naſcuntur Dentati.

QUod tam erat apud Romanos rarum, ut nomine proprio rem fecerint ſeculis omnibus memorabilem, dentatos appellando, qui inſolito mortalibus ceteris more dentibus præditi in lucem ederentur: non minus admirabilibus confirmatum mihi eſt hiſtoriis. Oblatus eſt enim mihi quinque menſium fœtus, in quo dentes bini inciſores maxillæ inferioris adeo nativitatis tempus non exſpectaverant, ut vel tum erupiſſent, & ſeſe conſpiciendos clarè præberent, nec in maxilla tantùm inferiore apparuit hæc præcox naturæ ſeſe armantis maturitas, aliàs inciſores maxillæ ſuperioris in fœtu enatos vidi; etiam videre contigit pueri mihi ſanguine conjuncti nativitatem, qui pluribus ſeſe inſtruxerat dentibus, antequam hanc vitæ palæſtram, tot fortunæ injuriis exponendus, naſcendo ingrederetur. Maluit parens hoc filii ſui præ aliis hominibus privilegium latere, dum tacitus fortunam ejus contempletur & conſideret, num quicquam res ea vel boni, vel mali ominis allatura ſit in vita ſui filii : quapropter neque nomen mihi prodendum eo invito cenſui, ſuffecerit ex hiſce eventibus rarioribus vidiſſe, eundem ſemper naturam ſervare tenorem, & quæ rarò accidebant olim, etiam nunc rarò evenire, non variante naturam ſuam rerum univerſi-

tate,

tate, ſed nobis in iis, quæ vulgò accidunt, conſtantiam ejus, in aliis rerum novitatem admirantibus.

OBSERVATIO XXV.

Sputum ſanguinis periodicum.

FUit tanta viri cujuſdam, aliàs non indocti ſimplicitas, ut me ſeriò conſuleret, an non & viri ſuis quandoque laborarent menſtruis. Non ſoleo ego ſarcaſmo, aut ullo irriſionis genere excipere cujuſquam ignorantiam; præſertim in eo genere cui quis animum nunquam applicuit: ſed dum mecum more meo reputo, quid viro iſti occurrere potuerit, unde ei in mentem venerit iſtud ſuſpicari: in animum induxi meum hæmorrhoïdum periodos, quæ non raròſtatuta ſervant tempora, quod vel in ſe expertus fuerit, aut aliis referentibus audierit, ei licet in Theologicis erudito, in Medicis tamen prorſus rudi ſimilem ingeſſiſſe dubitationem.

Et certè mirum eſt, non tantùm febres in omnibus, menſtruas purgationes in mulieribus, ſed alios etiam morbos, illos maximè, quibus natura ſeſe conatur exonerare, ſtata ſervare temporum intervalla.

Novi, dum viveret, Arnoldum quendam Pauli, virum ſexagenario majorem, qui phthiſi laborare incepit cum vehementi ejectione ſanguinis, quæ perſeveravit ad quindecim uſque dies, deinde medicamentis quibuſdam, inhibitâ primâ iſtâ violentiâ, rediit poſt menſem idem ſanguinis vomitus, eam-

que periodum tot menſibus ſervavit, donec octavo denique vehementius ingruens hominem de medio ſuſtulit.

Quandoquidem hîc nihil præterquam obſervationes damus; poteris & hoc, Lector benevole, an ſæpius, & quibus in morbis reperias obſervare; & de reperiendis horum talium cauſis, remediiſque cum toto Medicorum choro meditari; nec enim, quia nondum quiſquam quippiam, quod curioſo ſatisfaciat ingenio, reperit, oportet animum ad deſperationem abjicere: ſi ita majores noſtri fuiſſent animati, nihil unquam inveniſſent, cùm ſingula ſemel fuerint nondum reperta.

Observatio XXVI.

An venæ & arteriæ venas habeant & arterias, quæ ſua illis alimenta ſuppeditent?

Nullas partes eo ſucco nutriri, quem illæ deferunt, aut in commune corporis bonum elaborant, plurimorum eſt ſententia; quia liquidò apparet tam arterias deferentes alimentum, quàm venas ſuperfluum ejus auferentes per illas diſcurrere. Sed quid de venis arteriiſque ipſis dicemus? Si venis arteriiſque aliis ad ſui nutritionem indigeant, quid de ſecundis hiſce rurſus pronunciabimus? Nam ſi & hæ nutriantur ab aliis, jam vel in infinitum procedemus, vel aſſignandus erit numerus, in quo ſiſti potius debeat, quàm in primis venis & arteriis; aut aliud

aliud quoddam investigandum est adhuc ignotum naturæ mysterium. Cui inquisitioni ne putes nullum à natura ostendi indicium, penes me servo truncum majorem venæ portæ equinæ, in quo conspicua est venarum, quæ à mesentericis ramis, & arteriarum, quæ à ramo splenico exoriebantur, tanta copia, ut inextricabilem labyrinthi errorem flexus earum, & fines quærentibus exhibeant: rursusque venas arteriasque alias per secundas hasce decurrentes ostentant, quod si fit, ubi sistetur? An verò fiat, immania elephantorum balenarumque Anatomicè examinata corpora, fortè clarius docebunt. Ego, dum ea visendi curiositati meæ dabitur occasio, ἐπέχω. Nam uti, quæ clarè vidimus, esse in rerum natura liberè pronunciamus, ita quæ non vidimus, sint, nec ne, ab experientia discere avemus.

OBSERVATIO XXVII.

Mors à lapidibus Asperam arteriam prementibus.


VIr quidam laborabat maximâ anhelitûs difficultate : non tamen tussiebat, non excreabat, nec ulla vel asthmatis, vel orthopnææ, vel phthyseos, aut vulgati alicujus pectoris vitii aderant symptomata. Medici curabant eclegmatis, syrupis, & similibus morbum non obsequentem, æger tandem febre superveniente abiit ad plures. Causa autem morbi & mortis postea sese aperto corpore, aperuit, & hîc clarè omnibus appositam figuram intuentibus apparebit. Lapides varii variæque figuræ iis, quibus picti sunt, locis immediatè asperæ arteriæ incumbentes, ita eam oppresserant, ut tandem hominem præfocaverint : cetera enim interiora nihil contraxerant vitii. Ita sæpe, quæ latent in corpore, medicantes latent. Quo magis risu digna eorum videtur arrogantia, qui medendi rationes ad Mathematicorum calculos volunt exigere ; & Medicos rident, si fortè ex ignoratione rei prorsus extra ordinem sese offerentis mediis ordinariis fuerint usi, ad eum morbum depellendum, quem illi prudenter, quamvis non certò subesse existimabant.

Tabula x. ad Obſervationem XXVII. aſperam arteriam cum lapidibus ei incumbentibus repræſentat.

A. *Aſperæ arteriæ pars inferior.*

B. *Rami arteriæ aſperæ ſeſe in binos pulmonum lobos inſinuantes.*

a. a. a. &c. *Lapilli varii, iis locis, eaque figurâ expreſſi, quemadmodum ſunt inventi tracheæ incumbentes.*



OBSERVATIO XXVIII.

Materia podagrica in elementa ſua chymicè reſoluta.

MIles unus ex iis, qui ſub Guſtavo Adolpho in Germania armis belli opes, & gloriam quæſierant, ſed paupertatem & miſerias repererant; mihi anno M. DC. LXI. oblatus eſt, hominis ſimulachrum potius, quàm homo; ſic eum podagra cum toto ſatellitio ſuo invaſerat: pedes, manus, humeri, corpus totum externè, internè eâ peſte obſeſſum, materiam podagricam ejiciebat, erantque ſputa, urina, excrementa omnia eâ infecta: neſcio, an omnes hoc ita accipient, uti à me jam aliquoties obſervatum dicetur. Dum extremitates ita materiâ podagricâ prorſus ſunt repletæ, ut non tantùm ejicere calcis poſſint, quantum morbus ad eas amandat, vertit ſe ad interiora peccans illa materia, & per ea venenum, quod tum, quia mortem habet aſſeclam, vocare poſſum mortiferum, ſpargit, brevique hominem extinguit. In eum ſtatum morbus hunc, de quo loquor, militem adduxerat: corpus macilentum, manus & pedes rigidos, dolores intollerabiles non deſcribo; hæc enim ex illis, quæ addam, vel tantillum in arte medica expertus, quilibet facilè colliget. calci ſimilis materia undique effluebat, ſputa, quæ creberrima ejiciebat, dum ſiccabantur, eandem Calcis acquirebant conſiſtentiam.

Inceſſit me curioſitas per artem Chymicam, cui per

per id tempus totum me dabam, examinandi hæc excrementa podagrica. Ingentem igitur ſputorum ad tartari conſiſtentiam concretorum copiam colligendam curavi: eaque ſecundum artis illius dictamina, in elementa ſua reſolventi, primùm dederunt ſpiritum quendam inter ſpiritum tartari, & ſalis armoniaci quodammodo medium, acidiorem nimirum illo, hoc mitiorem. Oleum ab oleo tartari vix poterat diſtingui, tam exactè illud colore, fœtore, & conſiſtentiâ referebat; nec ſal ex capite mortuo extractus, longè ab eodem ſale tartari abludebat, niſi quod ſapore quodam extraneo infectus, ingratam quandam ſtomacho pariebat nauſeam. Experiatur ſi cui & voluntas & fiducia erit, miſeros hoſce, & extra ſpem omnem poſitos podagricos ad priſtinam ſanitatem medicamentis propriis, & convenientibus reducendi; ſciat, tum primùm fore, ut appareat ſpes ſanitatis, quando per ſputum & urinas materiam hanc incipiet educere: uti enim in iis, quibus ſponte eâ viâ purgatur ſignum eſt ſecuturæ mortis, quod tanta peccantium humorum ſit copia: ita quando per medicamenta educitur, ſpes affulget ſanitatis, quod ita inſigniter minuitur cauſa morbifica. Paradoxum hoc fortè videbitur Medicis quibuſdam, atque ridiculum iis, qui nihil quod ipſi non fecerunt, aut ſaltem viderunt, fieri poſſe putant: ſed iis, quos Medicinæ receſſus altior & ſecreta delectant, id eſt, qui & Galenicam callent, & Chymicam non ignorant; experientiæque audent credere,

dum ſcientia nondum rationem facti ſuggerit, non incredibile erit, ſi quid perfectum audiant, quod ipſis nondum occurrit, cùm & ipſi quotidie nova quædam reperiant & proferant, in commune mortalium bonum.

OBSERVATIO XXIX.

Vena Cava duplex.

LUdit variè natura in hominibus, ludit & in brutis. Nam XI. Septembris anni M. DC. LXVIII. in cane duorum menſium venam cavam inveni duplici trunco è dextra cordis auriculâ egredientem, quæ gibbam hepatis partem ingreſſura coaleſcebat in unum: verùm egreſſa hepar ad digiti transverſi ſpatium, rurſum dividebatur in duos magnos ramos, quorum ſinguli emulgentem ad renem ſibi viciniorem propagabant, & ſic divaricati ad crura ramos iliacos efficientes, deferebantur. Ad ſpectaculum hoc, quia nulli obſervatum memineram, advocavi cùm Franciſcum vanden Enden, Chriſtianiſſimæ ſuæ Majeſtatis Medicum, tum Joannem ab Overbeeck, virum in ſecretorum naturæ indagatione curioſiſſimum, tum etiam Doctorem Fredericum Ruyſch, Amſtelodamenſem Anatomicum, amicos mihi integerrimos, qui rei novæ ſpectaculo non ſine admiratione oculos ſuos paſcebant; tu ejus delineatione contentus, Lector, paſce tuos.

Tabula

Tabula XI. ad Obſervationem XXIX. venam cavam duplicem canis exhibens.

A. *Cor à ſitu naturali nonnihil remotum, ut vena cava clarius conſpiciatur.*

B. *Vena cava aſcendens.*

C. *Vena cava duplici trunco è dextro cordis ventriculo deſcendens.*

D. *Coaleſcentia venæ cavæ antequam gibbam hepatis partem ingrediatur.*

E. E. E. E. *Varii lobi hepatis canini extra ſitum naturalem.*

F. *Altera divaricatio venæ cavæ hepar egreſſæ.*

G. G. *Venæ emulgentes.*


H. *Arteria magna ſimplici, ut ſolet, trunco propagata.*

I. I. *Arteriæ emulgentes.*

K. *Locus ubi arteria magna in ramos iliacos ſe diſpergit; quo eodem vena cava ordinariè in eoſdem ſe dividit ramos.*

L. L. *Rami iliaci venæ cavæ, jam ante digiti tranſverſi ſpatio ſub hepate à ſe invicem diviſi.*

Tab. XI



Observatio XXX.

Ductus thoracicus triplex.

IDem ille canis, qui nobis XI. Septembris anni M.DC.LXVIII. duplicem venæ cavæ exhibuit truncum, truncum ductûs thoracici triplicem oſtendit, qui parte tamen ſuperiore rurſum in unum coaleſcebat. Et neſcio, an non varius hîc naturæ in ductu thoracico luſus, quibuſdam nos mirabilibus nominibus eludendi, anſam dederit; dum eum *den vronck*, atque aliis barbaris appellant vocabulis; unde non minus barbaras de duplici per eum ſuccorum fluxu proferunt ſententias: quas hoc loco refutare neutiquam eſt animus; ſponte ſuâ facilè rumpentur & evaneſcent. Et mihi ſi lubeat incurrere in omnes eos, qui nec rationem ſequuntur, nec ullâ rationis ſaltem ſpecie errores ſuos colorant, ſæpius neglectis obſervationibus noſtris arma ſint arripienda; quod prorſus in aliam faciem transformaret hoc opus, quod non promittit, niſi quædam anatomiæ ſpicilegia: quæ qualia qualia fuerint, Lector benevolus benigno vultu, quæſo, aſpiciat, dum ego innoxias ab omnibus, præterquam à canibus, vitulis, aliiſque pecoribus ſervo manus.

OBSERVATIO XXXI.

Valvula coli non ſemper omnem impedit verſus ſuperiora aſcenſum.

CUm feminam inter ceteras Harlemi curaverim, quæ dum clyſteres injiciebantur, eos halitu ſuo ita ſurſum attrahebat, ut nauſeabundus ſtomachus ea ejiceret, quæ manifeſtè eum, qui materiæ clyſteris fuerat, ſpirarent odorem: aliique exiſtiment etiam nutriri poſſe hac ratione hominem. Hoc obiter cenſui animadvertendum, quod variis experimentis mihi videre contigit, valvulam iſtam coli notiſſimam non ita occludere inteſtinum, ut nihil unquam pertranſire poſſit: quod breviter quidem, ſed non-inutiliter tamen hîc obſervatum, Lector, boni conſule.

OBSERVATIO XXXII.

Quatuor arteriæ ſpermaticæ ſine ſpermaticis venis repertæ.

VEl unico naturæ phœnoméno oſtendemus, non *nugari omnes Anatomicos, qui dicunt aliquando unam, aliquando utramque arteriam* (ſpermaticam) *deeſſe.* Quod juveni cuidam, aliàs non infimæ ſpei Medico præmaturè nimis excidiſſe doleo: cui idem fuiſſe de venis judicium probat, quam ſubjungit probatio. *Quia ſi vas*, inquit, *ſauguinem referens adſit*, *neceſſariò adferens adeſſe debebit*, *& contra*: *ex quibus liquidè patet neceſſa-*

necessariò semper arteriam & venam adesse debere. Nam in virgine quadam duos circiter & viginti annos nata quatuor arterias spermaticas, venam nullam inveni: dexterarum ab arteria emulgente una, altera ex arteria magna trahebat originem; sinistræ autem ambæ ex emulgente prodibant: antequam tamen se insinuarent testiculis in corpus pyramidale, ut arteria venaque simul junctæ solent, coalescebant. Has, ne testes oculatos citare sit opus, in museo meo curiosorum oculis spectandas asservo. Atque hoc argumentum, ut loquuntur, affirmatum, cùm tot Anatomicorum, quos Author ille nugari dicit, testimoniis, isti unico negato opponimus, quorum vel innumerabilis copia, ne uni quidem affirmato fidem possit derogare.

Ratio autem, quæ Authorem istum movit dicentem, *si vas sanguinem referens adsit, necessariò adferens adesse debebit, & contra*, aliquid fortè probaret, si non aliæ adessent arteriæ, quæ vices harum absentium possent supplere, & adferre eum sanguinem, quem venæ referunt, & contra. At cùm vel ex hisce observationibus nostris pateat, tam varia naturæ ludentis quasi petulantia quædam, quæ jam duplicem venam cavam, ut supra diximus, jam arterias umbilicales ex aortæ extremitate, jam ex ramis iliacis produxerit; dubium nullum est, quin ea sibi aliunde, ut sanguis vel deferatur, vel auferatur, prospexerit. Nusquam hæret omniparens illa mater, semper sibi aut viam facit, aut invenit.

OBSERVATIO XXXIII.

Lien magnitudine & duritie peccans.

LAtus ſiniſtrum deciduo ex loco ſuperiore lapſu afflixerat Theodorus Joannis, ex iis fabris, qui ligneam ædificiis adaptant materiam. Hic adhibitis quibuſdam unctionibus & fomentis cùm graviorem non perciperet dolorem, livorque, qui in cute apparuerat, diſparuiſſet, ab uſu medicamentorum quidem abſtinuit, ſed palliatæ ſanationis effectus poſtmodum ſenſit, & incuriam in eo ſuam morte luit. Surrepſit enim quaſi ex inſidiis hectica febris, quæ diutius latentem ſui cauſam celare non potuit, dum paulatim latus extrinſecus illæſum in tumorem aſſurgit, & duriori intus latenti, ſeſeque paulatim dilatanti lieni amplius dat ſpatium, per quod ſuam, quot diebus majorem extenderet duritiem. Accedebat anhelandi difficultas, quam quidam rebantur alterius cujuſdam morbi ſobolem. Exſtinctus itaque, & anatomicè examinatus oſtendit unicam tot malorum, quibus quindecim menſibus exagitatus miſeram traxerat animam, cauſam fuiſſe læſum iſto lapſu lienem, qui præter modum induruerat, & magnitudine diaphragma premens, anhelandi difficultatem induxerat. Reliqua viſcera cuncta ſana viſebantur & integra, niſi quod inteſtinisillioſa quædam circumfundebatur materia. An ſatius hîc fuiſſet, heroico Fioravantii uti remedio, exſcindendo tempeſtivè

pestivè lienem? nescio utri difficilius id persuaderetur ægro ne, an Medico: hic sanationem dubiam, ille dolores certos vereretur: si tamen ante anatomiam tam clarè patuisset causa mali, quàm post eam apparuit, nescio quid non hic bonâ vitæ spe, ille mortis timore admitteret: *Medici certè hæc potiora putant, quàm certa morte perire.*

OBSERVATIO XXXIV.

Hepar nec per alvum, nec per urinam ejicitur.

SAnguis, qui per urinam, aut alvum aliquando redditur, parenchymatis hepatici duritie suâ formam aliquam præ se ferre videtur, quâ specie delusi quidam, putantes id esse, quod esse videbatur; etiam experimento quodam sese in eo confirmabant errore. Nam massam illam sanguineam aquæ injicientes, dum coagulatio ea sanguinis dissolveretur, remanebant filamenta quædam, quæ illi ramificationes venarum hepatis esse existimantes, in eam prolapsi sunt sententiam, ut hepar ejici, tam per urinam, quàm per alvum autumarent. Nec de grege solùm Medicos in eum errorem traxerunt ista phœnomena. Hofmannus, Hercules à Saxonia, Swingerus, heroës alii in ea sunt opinione. Quem vel mediocriter studiosum non teneret cupido rem tam improbabilem, à viris tamen talibus proditam, examinandi? me certè non sivit quiescere curiositas, donec oblatus fuit, qui simili ratione coagulatas sanguinis

maſſas dejiceret: has, quâ volunt illi ratione, iiſque præterea viis examinavi, quæ ad rei veritatem indagandam videbantur idoneæ; inveni reſidua poſt diſſolutionem ſanguinis filamenta, ſed hercules! quàm diverſa ab ea ramificatione, quæ in venis hepatis obſervatione XCVI. exhibetur. Sume, ſodes, Lector, experimentum, & confer, ipſa te res docebit, nihil illis inter ſe cognationis intercedere: & in eam facilè mecum deſcendes ſententiam, filamenta hæc ab interiore inteſtinorum tunica, aut aliis partibus interioribus abraſas eſſe particulas; quam opinionem liquidò confirmat noſtra in hoc homine ſanando felicitas; ritè enim curatus, planè convaluit, nec quicquam reſiduorum ſenſit ſymptomatum; quod certè nequaquam ei contigiſſet, ſi tantùm hepatis, quantùm hæ maſſæ ponderabant, amiſiſſet.


Observatio XXXV.

Lapis in cerebro repertus.

JOannes Nicolai Weſtphalus XIV. annorum adoleſcens, id ætatis inter rationis ſtultitiæque confinia traduxerat; ſemper ſomnolentus, ſemper capite obtuſo: ut, ſi quid ageret, quod hominem ſaperet, potius ex creperæ cujuſdam rationis ſcintillis, quàm ex vero ejus uſu proficiſci videretur. Is cùm obiiſſet VIII. Junii anni M. DC. LXVII. operæ mihi pretium facturus videbar, ſi in cauſam conſtitutionis hujus inquirerem; & quid repererim, ubi, candide Lector,

Lector, audiveris, videsis prudens facias de ejusmodi semistultis judicium.

Substantia cerebri omnino erat flaccida, pia mater, quod in hydrocephalicis fieri amat, ita laxè cerebro erat circumjecta, ut nullo negotio ab eo posset separari: cerebrum, non ut in hominibus fit, cerebellum magna ex parte obumbrabat, sed ab eo recedens, ut videre est in ovibus, nudum cerebellum primo aspectu oculis subjiciebat. Glandulæ pinealis ne vestigium quidem natura elaboraverat; an fortè, quia non decreverat homini huic indulgere istud (quod hîc fieri quidam putant) animæ corporisque colloquium? an camphoræ instar aëri expositæ, in nihilum redacta? an denique resoluta erat instar salis ab humido? ratiocinentur alii in quaslibet partes; ego nihil, nisi quod vidi & tetigi, aut alio sensu percepi in medium profero: inter quæ aqua salsissima, quæ priores duos ventriculos fatui hujus plus mediâ parte repleverat, quorum dexter etiam inclusum servabat calculum colore albicantem, qui medicâ staterâ examinatus grana pendebat tredecim, quem & hîc, quâ apud me asservatur specie, videndum præbeo.



OBSERVATIO XXXVI.

Secundinæ portio quarto à partu menſe incorrupta & innoxia editur.

HOmo homini Deus dicitur : & homo homini lupus. Paſſim hæc frontibus adverſis pugnantia jactantur ; pueri audiunt & ſenes, & verum audiunt : audi tu, mi Lector, quare. Infirmum, debile, inconſultum, rerum omnium ignarum editur in lucem animal illud, quod hominem vocamus, ideoque ſtatim alterius eget ope : qui opitulatur, Deus illi eſt eâ metaphorâ, quâ utitur proverbium. Perverſum, ad mala pronum, lucri ſui cupidum, & per animi paſſiones ſeductum à vero, idem illud animal eſt, maximè ubi adolevit, & ſe videt ad corporis ſui commoditates propter communem malitiam aſpirare non poſſe, niſi per fraudes & mendacia, & niſi comminiſcatur, quomodo alteri detrahat, quod ſibi cupit accedere ; ideo dum alter in alterius damnum invigilat, & ubi poteſt, proximo nocet, homo homini fit lupus. Non opus eſt ut illud per omnes humanæ vitæ profeſſiones diſcurrendo oſtendam & in lucem proferam, quos ſub pelle ovina ſingulæ tegunt lupos ; tegunt, inquam, omnes, quæ ſe prodeſſe profitentur, (alias publicè non tolerandæ) hac ovili pelle ſuam nocendi cupidinem. Mitto Theologos, qui nos diſtrahunt per tot eccleſias, & ſinguli ſuam eſſe, quæ nos ad ſalutem deducat, certatim clami-

clamitant, ut multitudinem ad ſe pertrahant, & ita plurimis nocent. Juriſconſultos non tango, multo minus Medicos: quos utroſque ſcimus iniquiſſimam ſæpe malè locatæ operæ mercedem exigere, dum ob ignorantiam, nè dicam malitiam, nocent, aut prodeſſe differunt, ubi promittebant promptum auxilium. Quod hîc deploro, eſt femellarum, quæ veluti harpyiæ quædam poſitæ primo in limine vitæ noſtræ; ſtatim in pueros matreſque incurſant; & vel illos occidunt, vel utroſque ita malè tractant per inſcitiam, ut longo tempore pòſt miſeras trahant animas: ſed ut iis, quæ per inſcitiam contingunt, omnia condonemus, ea certè, quæ per malitiam quotidie ferè perpetrant, ferri nullâ ratione deberent. Dum iis, quibus adfuerunt parturientibus, jam puerperis perſuadent, & mentiuntur ſecundinas cum puero integras prodiiſſe, cùm magna earum pars adhuc in corpore hæſerit, & ſecuras reddunt mulieres, quæ fortè aliis remediis ſe liberarent his, quæ poſtea ſequuntur, miſeriis. Plurimæ mihi, quæ hanc obſtetricum malitiam, aut morte, aut maximis luerunt doloribus, ſunt oblatæ: nec eſſe, puto, Medicum, qui praxin feliciter cum bona hominum fama aliquamdiu exercuit, cui non triſtis ille caſus occurrerit; ideoque non iſtud eſt, quod tanquam rarum hoc capite obſervo: ſed illud potius; quod una ex iis, quæ ita, decipiuntur ab obſtetricibus, quarto poſt partum menſe, cùm nullum aut exiguum ſenſiſſet incommodum, fluxu vehementi laborare

borare cœperit, & unà bonam placentæ partem nulla corruptionis ostentantem indicia ejecerit; optimèque evacuata, nihil inde senserit incommodi.

Tanta est sæpe naturæ non solùm in therapeuticis potentia, sed etiam in prophylacticis industria. Sed satius esset huic obstetricum inscitiæ remedium, & malitiæ quærere supplicium, quàm semper fidere huic naturæ bonitati, quæ non nisi observatione dignâ rarissimâ raritate tale solet edere miraculum.

OBSERVATIO XXXVII.

Placenta mulieris septem cotyledonibus constans.

PLacentam uteri reperiri unicam in muliere, equa, asina; duplicem in lepore, sorice, sucula Indica, mure, talpa, unam rubram chorio adhærentem, alteram albam glandulosæ substantiæ: multiplicem in vacca, ove, & capra; ex multis nimirum glandulis constantem, quas cotyledones vocant; licet vulgare sit & ordinarium, non ita tamen perpetuum, quin ego in femina placentam invenerim septem placentis, seu glandulis diversis chorio adhærentem: puer autem, qui huic placentæ adjacebat; hoc etiam præter morem aliorum ostendebat, venarum umbilicalium unam ex hepate, prout fieri amat, alteram verò; quod à more abhorret, ex vena mesaraica prodeuntem. Arteriæ item umbilicales, non ab extremitate aortæ, nec ramis iliacis sumebant initium, sed duobus transversis digitis

ab

ab aortæ extremitate. Verùm quia placentæ mentionem fecimus ſubjungam unam circa eam obſervationem.

OBSERVATIO XXXVIII.

Placentæ informes, quas vulgus Suygers, *& vocat & eſſe putat.*

QUia anicularum commentis, quæ de beſtiis, quæ infantes conſumunt, aut ab iis conſumuntur, fabulosè narrant, nec credo, nec te credere vellem, quiſquis hæc legis, niſi oculatus ipſe teſtis beſtias illas videris, noſtrate linguâ *Suygers* appellatas, quas unà cum fœtu, aut ſine fœtu in lucem edi, ſæpe audire, nondum videre contigit: ideo binas haſce placentas deformes æri incidendas curavi; quarum alteram & vixiſſe & cucurriſſe narrabant, credo, ut tanto plus gratiæ inirent, & magis à rei novitate commendarent id, quod adferebant mulierculæ. In altera & caput, & pedes, adeoque & oculos, & os & naſum oſtendebant, nihil horum videnti. Tu, ſi in his accuratè ſatis ad prototypa ſua delineatis, quicquam videre potes, quod figmentis illis, ut ego quidem hactenus exiſtimo, patrocinetur, quæſo, dubitantem doce. Et quo te excitem magis, ut eam ineas à me gratiam, gratis dicam quid de toto hoc negotio ſentiam.

Fit ſæpe, ut dum formari cœpit in utero fœtus, nec firmis adhuc retinaculis placentæ alligatur, iis agita-

tione, ſaltu, caſu, aut alio matris infortunio, aut etiam infirmitate ſolutis, neſciæ, & nihil tale ſuſpicanti, fœtûs tenellum rudimentum excidat matri, remanente in utero placentæ materiâ, quæ dum ibi hærens non putrefit, ſed augeſcit, variarum in utero contractionum ſæpe eſt cauſa, quæ dum ſubitis variantur vibrationibus tam vehementer, ut etiam extrinſecus motus earum percipiatur, animalis per uterum ſubito motu diſcurſantis, tam ipſi, quæ ſymptomata patitur, quàm aſpicientibus & tangentibus dat ſuſpicionem: cùm autem poſtea hæc placenta ſine fœtu, quæ vera eſt Mola, prodit in lucem, quod ſæpe fit cum ipſis parturitionis laboribus, imo ipſo tempore, quo prodiiſſet infans, obſtetrices, & reliquæ mulierculæ putant animal illud, quod antea vivum ſenſiſſe ſe exiſtimant, fœtum, cujus nullum apparet veſtigium, conſumſiſſe. Sin autem prodeat fœtus poſt ſimiles agitationes, contra animal illud, quod non comparet, abſumptum eſſe ab infante pronunciant, & ejus veſtigia præoccupatæ præjudicio in placenta quærunt, & invenire ſeſe imaginantur quandam beſtiæ configurationem. Tu ſi melius quid habes, Lector, adfer: ego hîc Thomas ſum, niſi videro, non credo.

Tabula XIII. ad Obſervationem XXXVIII. placentas duas deformes ſeu Molas proponit.

FIGURA I.

Molam delineat, quam vixiſſe & cucurriſſe narrabant.

A. *Placentæ corpus.*
B. B. B. B. *Quatuor placentæ, ſi Diis placet, pedes.*
C. C. C. *Venæ, arteriæque in exteriori Molæ parte apparentes.*
D. D. &c. *Variæ chorii & amnii dilaceratæ particulæ.*

FIGURA II.

Alteram placentæ figuram dat.

A. *Placentæ corpus in quo nihil animali ſimile apparet.*
B. B. &c. *Chorii & amnii partes.*
C. C. &c. *Venæ & arteriæ in ea conſpicuæ.*

Tab. XIII

FIG. I





FIG. II



OBSERVATIO XXXIX.

In colo & in ileo plurimæ reperiuntur valvulæ, quas, quia non totum opplent ſpatium, valvulas conniventes *appellamus.*

IN coli principio valvulam craſſam & validam reperiri, cui id datum ſit negotii, ut prohibeat ne fæces in ileum rurſus delabantur, jam multorum obſervavit curioſitas: ſed qualis illa ſit, triplex ne, ut Archangelus aſſerit; an unica & ſimplex, ut Higmorus ad αὐτοψίαν provocans defendit; an verò duplex ſub judice lis eſt: quarum ſententiarum poſtremam, ego quoque ad αὐτοψίαν ſed accuratam & diligentem provocans, affirmare non dubito: claudit enim hæc valvula inteſtinum non unicâ rotundâ pelliculâ, prout fere ab omnibus depingitur: non triplici, ut ab Archangelo deſcribitur, ſed duplici, inſtar earum, quibus venæ occluduntur.

Sed alia erat novitas, ad quam præcipuè te vocabat, Lector, hæc noſtra obſervatio. Notum enim jam tibi eſt, & dictum à multis in colo exiſtere cellulas quaſdam à corrugatione per vinculum quoddam externum factas, quæ celerem fæcum lapſum ſiſtant, quæque rupto, aut laxato eodem illo vinculo relaxentur, atque diſpareant. Sunt eæ quidem, nec tē decepit eorum, qui hæc obſervârunt, diligentia: ſed aliud præterea, quod illi te celaverunt, reperies; valvulas nimirum per jejunum & colon inteſtinum

diſpoſitas, quas ego, ſi verbis audacia detur, nominare non reformidem *Valvulas conniventes.* Quia non claudunt ita inteſtinum, ut totam ejus cavitatem oppilent, ſed mediam circiter ejus capacitatem ſic occludant, ut ſingulæ parte alterâ latiores, paulatim anguſtiores fiant, & rurſus paulo inferius ab alia excipiantur, quæ latior eâ parte, qua præcedens erat anguſtior, talem inteſtino dent conſtitutionem, ut fæces delabi quidem poſſint, ſed non præcipitari unico quaſi lapſu ad inferiora: quam *valvularum conniventium* (utamur enim eo nomine, quia commodius non occurrit) ex iis, quas domi aſſerrvo, delineationem hîc ſpectandam exhibeo. Scriptum de his nihil quidpiam uſquam vidi, niſi quod mentionem aliquam verbo de illis faciat * Fredericus Ruyſch, dum ait *in craſſis inteſtinis non unam, aſt plures obſervo valvulas.* Quæ verba ſi is de hiſce valvulis conniventibus interpretari velit, jam ridendum propinabit omnibus irriſorem ſuum, qui petebat ſibi oſtendi plures illas in colo valvulas: ſed de his ipſi viderint; ego quas deſcripſi, eſſe affirmo, & oſtendo. Sunt eæ in colo, quàm in jejuno majores, utrobique tamen hanc ſervant regulam, ut alteræ verſus ileum, alteræ verſus rectum inteſtinum deſcendentes, paulatim minuantur, & tandem evaneſcant. Dant etiam hæ valvulæ, quæ ab interiore inteſtini tunica efformantur, clarum ſui in parte exteriore permanens veſtigium, ne quis dicat, eas tantum eſſe plicas

* *In tractatu dilucidationis valvul: vaſor: lymphaticor: pag. 32.*

plicas inteſtini à corrugatione ejuſdem ortas.

Dices : qui fit, ut res tam notabiles, & valvulæ tam magnæ, ſi eſſent, obſervatæ non fuerint? cui objectioni primùm reſpondeo, neminem teneri rationem reddere omiſſionis alienæ, ſatis eſſe, ut ſuam quiſque adhibeat diligentiam, ut aliquid afferat ad augendam Medicinæ ſcientiam. Addo deinde arte quadam & cautione opus eſſe in tractandis inteſtinis, ut valvulas has reperias, & aliis oſtendere poſſis : etenim ſi infles ea remiſſius, non apparent : ſi intenſius, diſtenduntur inteſtina in eam latitudinem, ut *valvulæ* hæ *conniventes* vix videantur eſſe valvulæ, quia non aptè videntur, ut tantum occludant ſpatium : ſed idem de valvulis venarum, quando vaſa inflata & exſiccata ſunt, ferri poſſet judicium; ſi hoc eſſet judicare, & non errare propter minus accuratam rei contemplationem.

Tabula

Tabula XIV. ad Obſervationem XXXIX. *valvulas conniventes* oſtendit.

Figura I.

Pars inteſtini jejuni valvulas conniventes exhibens.

A. *Pars inteſtini jejuni.*
B. *Interior facies inteſtini.*
C. *Pars quædam reflexa, ut facies interior apparere poſſit.*
a. a. a. &c. *Valvulæ conniventes.*
b. b. &c. *Veſtigia valvularum conniventium exterius apparentia.*

Figura II.


Pars inteſtini jejuni aliter delineata, ut clarius valvularum conniventium figura conſpici poſſit.

A. *Exterior jejuni facies.*
B. *Interior facies jejuni.*
C. C. C. &c. *Valvulæ conniventes.*

Figura III.

Valvulam coli duplici pelliculâ conſtantem, & valvulas conniventes cum cellulis proponens.

A. A. A. *Superficies coli exterior.*
B. B. B. B. *Partes coli replicatæ, ut interius inſpici poſſit.*
C. C. *Pelliculæ binæ, quibus valvula coli conſtat, nonnihil à ſe invicem diſtractæ : ut ilei cavitas in medio videri*


Fig. I
Tab. XIV
A
B
C
a
b
I
Fig. III
G
H
A
B
C
D
F
Fig. II
A
B
c

videri possit : quamquam hæc αὐτοψία in exsiccatis melius ostendat, quàm ars chalcographica exprimere potuerit.

D. D. D. &c. *Valvulæ conniventes.*

E. E. E. *Spatia inter valvulas conniventes aperta.*

F. F. F. &c. *Cellulæ, quas externum ligamentum efformat, eoque abscisso collabuntur.*

G. *Intestinum cæcum, id est, appendicula instar vermis oblonga.*

H. *Antiquorum intestinum cæcum.*

I. *Intestinum ileum.*

Observatio XL.

Matres pueros suos nimis alendo sæpe necant.

SCitur & ridetur ab omnibus illa simiæ, animalis aliàs sagacis, stoliditas, quæ catulos suos præ nimio affectu tam arctè pectori suo apprimit, ut exprimat animam : haud multò sapientiores pleræque matres, quæ filios suos nutriendo, necant, & lactando, mactant. Anatome illas, si sapere vellent, doceret, quàm facto in uno, dum piæ volunt esse, sceleratæ existant. Oblati enim mihi sæpissime sunt ex iis, quibus lac nimiâ copiâ fuerat exhibitum, febri continuâ brevi tempore extincti; quorum dum mortis immaturæ causam indagabam, omnes ita obesos & pinguedine obsessos inveni, ut vix scirem, quò cultrum anatomicum adigerem : qui pueri dum sugentes perpetuò vomerent, lætabantur stolidæ

lidæ matres, vulgatum illud ſuum identidem occinentes: *pueri, qui vomunt, creſcunt*; verè illud quidem; lac enim, ut alimenti maximi eſt, ita facilè quando majori copiâ ſuppeditatur, quàm ut calor nativus illud convertere poſſit in perfectam carnis ſubſtantiam, in pinguedinem abit: quæ non minus periculoſum infantibus dat ſtatum, quàm adultis athletica corporis habitudo, quæ dum eadem quotidie gravatur copiâ, neceſſariò in ea incidunt incommoda pueri, in quæ ex nimia crapula adulti; ita ut hîc vel maximè locum habeat illud ſapientis: *plures occidit gula, quàm gladius*, etiam Herodianus. Quis vitæ diuturnitatem promitteret ei, qui ita ſe ingurgitaret quotidie, ut ter quaterve ſingulis diebus remetiretur vomitu, quæ aſſumpſiſſet: quid? an in tenera iſta ætate crapula hæc non eſt multò peſtilentior? nec enim calor iſti tam copioſo alimento digerendo ſufficiens eſt, nec retentrix facultas ſatis valida, nec expultrix accommoda. Nam ut etiam hoc ex anatomica curioſitate addam, pylorus puerorum tam arcto ſigillo à natura munitur, ut ſi infles, eum ſiccare poſſis, quamvis infernè non occludas; quæ naturæ diſpoſitio non videtur apta, ad tantùm lactis per eum dimittendum, ideoque regurgitat & infantem enecat.

OBSERVATIO XLI.

Mulier fati sui diem ab impio prædictum mendicabulo nimis apprehendens, eo ipso extincta.

Cum semel extra Anatomiæ oleas salierim, addam & alteram de viribus imaginationis observationem: quæ hoc simul adferet commodi, ut aliquos superstitione liberando, eorum non tantùm saluti, sed vitæ consulet, dum advertent, quàm facilè hominibus illudatur, qui nimis religiosi pietati se indulgere putant; dum inanibus & panicis agitantur pavoribus.

In pago quodam Hollandiæ Septentrionalis, quem *Quadijck* appellitant, Catharina Petri negabat eleemosynam cuidam ex ea hominum colluvie, qui per pagos cursitantes, fucorum instar, de fructibus laborum alienorum sibi partem in Dei, si Deo placet, honorem tribui efflagitant. Cùm illa, ut genus illud projectum est ad omnem non tantùm impudentiam, sed etiam impietatem: quid, inquit, tu mihi negas eleemosynam nomine eam Dei petenti? at ego tibi ejusdem Dei nomine dico & prædico, te post sex menses hoc ipso die pœnas daturam hujus tui criminis, funus enim eris, nec diutius in terris ages. Catharina primùm ridere mulierculam: at postea secum ruminans, quàm serio, quàm graviter esset interminata, diem illum fatalem sibi sæpius proponere, ad imaginem ejus cohorrescere cœpit,

& tandem auctâ paulatim imaginatione, & inde ortâ infirmitate, eo ipso die extincta est: non punitione aliquâ divinâ, ut stolidè quidam in simili eventu imaginantur. Quod enim tantum peccatum in se admiserat, non dando eleemosynam vagis istis nebulonibus; cùm hac in patria potius virtutis genus sit, & obedientiæ mereatur præmium; cùm à legitimis superioribus boni communis causâ vetitum sit, porrigendo eleemosynas alere hominum istorum pigritiam.

OBSERVATIO XLII.

Iliaca passio ab ulceribus intestinorum cum inflammatione potius, quàm eorum intortâ convolutione oritur.

NOn eâ, quam hîc annoto observatione, istam confutare est in animo vulgi opinionem, quâ passionem iliacam, seu ileon, ideo volvulum dictum esse existimant; quod eâ intestina ita convolvantur & contorqueantur in nodum, ut propterea excrementis ad inferiora negetur descensus; quod vel tantillum in Anatomia versato fieri nullâ ratione posse, statim apparebit; cùm intestina omnia mesenterio ita alligata & illigata contemplabitur, ut vel hoc rumpi, vel ilia ab eo disrumpi debeant, ut imaginaria fiat ista convolutio: Sed cùm mihi oblata fuerit non vulgaris morbi hujus rarissimi causa, eam omnibus visendam dare, proposui.

XXIX. Septembris anni M. DC. LXVIII. Amstelo-

ſtelodami vir quadragenarius moritur ejus fortunæ, ut pauper inter divites, inter pauperes dives haberetur. Hic ab aliquot jam annis, quaſi tabe conficeretur, marcebat: & inter dubia vitæ mortisque vota miſeram trahebat animam. Tandem febri correptus fuit decimo quarto ante fatalem ſibi diem: poſt decimum nihil excrementorum per inferiora dejecit, tertio fæces per os fædum in modum ejecit, quas triduo poſt anima ſequebatur. Laborabat is omnium opinione volvulo; & revera is erat morbus, cui peritiores Medici, vel quòd æger victus doloribus ſe convolvat ſæpius, vel quòd flatus in ventre quaſi volvantur, etiam hoc nomen indi non abnuerunt. Nondum mihi hominem verè miſerando hoc morbo extinctum ſecandi fuerat oblata occaſio, hanc igitur non negligendam ratus, apud propinquos, eâ in parte difficiles, eam mihi impetravi gratiam. Ego inter ſecandum convolutionem inteſtinorum nullam, ſed ea circa coli principium arctius compreſſa, atque inflammata reperi; & ubi cautâ, lenique inciſione ea aperueram, ulcus inveni, quod tranſitum ad inferiora fæcibus negabat, & hinc quæ deorſum vergebant vacua, quæ ſurſum excrementis plena; quin ipſe ventriculus iis infectus, fœdum viſu, grave odoratu ſpectaculum erat. Poſt inventam morbi cauſam, dum cauſæ cauſam indago, ecce tibi pancreas ſeſe offert, quod ordinariam pancreatis longitudinem, mediâ ſui parte; latitudinem, tribus transverſis digitis; craſſitudinem, incredibili modo; pondus,

dus, quatuordecim unciis excedebat, pendebat enim uncias XVIIII, cùm hominis quinque, equi undecim plerumque pendeat : omni ex parte plenum erat ſcyrroſis glandulis ovum columbinum magnitudine exæquantibus. Hac pancreatis mole compreſſum ileon, primò inflammatum, deinde exulceratum, negaverat excrementis tranſitum.

Redeamus nunc ad imaginariam, quæ vulgò obtinet, de convolutione ilii opinionem, quæ ſi fieret, fieret neceſſariò cum ilii à meſenterio dilaceratione; ea autem, quæ hinc ſequeretur, in corpore cataſtrophe propter ſanguinis, per cava ventris ruptis majoribus vaſis, effuſionem, cùm à nemine obſervetur, fit, ut dubitem, an ſatis magnâ attentione ſcrutatus ſit, * Lazarus Riverius, & alii, qui dicunt Anatomiam iſti convolutioni patrocinari, neque enim detecta eſt unquam, quantùm ego exiſtimo, cultro anatomico iſta convoluta inteſtinorum contorſio. Quam opinionem meam, ne temerariam aut cuiquam injurioſam eſſe exiſtimet quiſpiam, audi, quæſo, quomodo Riverii errorem excuſem. *Aperto*, inquit, *cadavere inventum eſt inteſtinum ileon tribus complicationibus convolutum, & quaſi compactum in unam maſſam circa finem illius : tota autem illa inteſtini portio complicata gangrænâ affecta erat, cum portione meſenterii ſibi adjuncta. Aperto cadavere* à Chirurgo ſcilicet aliquo, quantùm arbitror, his enim vulgò datur id à Medicis negotii. *Inventum eſt, &c.* non addit à ſe vel viſum,

* *Cent.* 3. *Obſ.* 26.

visum, vel accuratius examinatum: fœtor & cetera, quam commemorat partium internarum constitutio satis prohibebant hanc curiositatem. Ergo inventum est, referente, puta, Chirurgo obiter hæc inspiciente, *ileon tribus complicationibus convolutum, & quasi compactum in unam massam circa finem illius.* Compactum in unam massam apparuisse ex inflammatione, gangræna & ulcere facilè imaginor, inde Chirurgus vulgari præjudicio imbutus, hanc convolutionem esse pronuntiârit. Adeo, ut nihil hîc aliud visum fuisse existimem, quantùm quidem ad convolutionem attinet, quàm id, quod nos in subjecto nostro magnâ pertinaciâ contra tetros, qui afflabantur, spiritus depugnantes invenimus. Quod ut eò te magis oblectet, quò nobis fastidiosius fuit, verbulum addam, ut interim diffletur, quæ jam afflare cœpit imaginationem tuam graveolentia.

Meministi, credo, Lector curiose, * Riolanum dicere se, dum aperiret Viri Illustrissimi D. Jacobi Augusti Thuani corpus, in eo pancreas undique scyrrosum invenisse, quod magnitudine hepar adæquaret. Conferatur cum eo hoc nostrum, & quemadmodum videbis hoc illo multò admirabilius, ita fateberis latere sæpenumero in corpore morborum causas, quæ & ipsæ morbi sunt, quas ne suspicari quidem Medicus potest: frequentes autem ab Anatomicis, qui eas invenerunt, observationes in lucem datæ, id adferent generi humano commodi, ut dum medi-


* *Lib. 2. Anthropog. cap. 16.*

medicamenta ordinaria ad ſperatam ſanitatem parum conferent, Medicus mentem advertat ad hæc ludibria, dicam potius, quàm ludos naturæ, quæ dum ſic ludit, nobis illudit.

OBSERVATIO XLIII.

Vermis è naribus ejectus.

HIc fidem, quam alteri narranti vix darem, niſi rem ipſe oculis uſurpaſſem, peto à Lectoribus. Femina quædam Amſtelodami in ea platea degens, quam *Dominorum foſſam* ibi appellitant; cùm jamdudum pectoris anguſtiis, tuſſi vehementi, quâ phlegmata craſſiora ſæpius exſpuebat, & maximis capitis doloribus laboraviſſet, die XXI. Septembris anno M. DC. LXVIII. capitis dolore præter morem, & neſcio quâ anguſtiâ tum pectoris, tum narium incepit laborare, ita ut ſpiritum per nares difficillimè aut emitteret, aut traheret, dumque ea in anguſtia poſita, tuſſit, ſpuit, emungit, ecce tibi inter emungendum vermem è naribus educit, ita in ſe convolutum, ut ſordes quaſdam craſſiores eſſe autumaret; rei tamen inſolentiâ permota, & maximè quòd anguſtiarum ſuarum levamentum quoddam ſentiret, filiam advocat; quid illud ſit, interrogat; ipſa enim, oculis ex vi conatûs ſtillantibus, non ſatis diſtinguebat; filia vivere id exclamat, & ubi ſe evolvit, vermis rubri coloris is apparuit, quem hîc depinximus, pedibus innumerabilibus, caudâ biſurcatâ, &



prominentibus ad caput cornibus prӕditus; qui celerrimè ſe convolvebat; is cùm ad me delatus eſſet, feminam ipſam adivi, quӕ ante aliquot ſeptimanas ſe ſimilem quendam in ſudario ſuo reperiſſe ajebat, ſed quia illud ad latus juxta parietem ſepoſitum fuerat, ſe putaſſe vermem eum in ſudarium ex terra irrepſiſſe, ideoque abjeciſſe: ego vermem nullo utentem alimento diu vivum ſervavi, eundemque tum familiaribus oſtendens, tum quandoque curioſitate impellente viſitans, ſemper agilem reperi: at die Octobris tertiâ, dum capſulam ligneam, in qua eum repoſueram, aperio, ipſum jam mortuum, ſed ante mortem peperiſſe reperio; adjacebat enim vermiculus vivus, quem etiam hîc appinxi, & mortua genitrix, quӕ tumorem circa ventrem manifeſtum viva oſtenderat, jam parte iſtâ detumuerat: juſſi dari feminӕ medicamentum emeticum, quo ipſa materiam copioſam, lentam, viſcidam, herbâ viridiorem evomuit, quo cum nonnihil ſe ſublevatam ſentiret, injuſſu meo eandem medicinam iteravit poſt duos dies, & iterum eadem fere quantitate eam materiam, paulo tamen minus viridem ejecit, & capite

ſe,

ſe, ventreque inferiore non nihil ſublevatam gaudet, ſed tuſſis moleſtia, cum ſputis lentis & craſſis perſeverat.

Vermem ex quo noſter hic depictus eſſe videatur, niſi quod ille major ſit, adfert Paræus in Operibus Chirurgicis, quem Chriſtianiſſimæ Majeſtatis ſuæ Chirurgum Jacobum Guillelmeau ex apoſtemate femoris adoleſcenti cuidam exſcidiſſe dicit. Varias autem ex variis hiſtorias, quibus vermes in capite reperti eſſe narrantur, adfert * Daniel Sennertus: ſed ego, qui ſpicilegium facio, aliorum me manipulis non onero, contentus id, quod mihi videre contigit, in medium attuliſſe, ut ſic miranda mirandis adſtruant fidem.

* *Pract. lib.* 1. *part.* 1. *cap.* 18.

OBSERVATIO XLIV.

Acus gutturi inhærens magnete extracta.

UNdique diſcendi captat occaſionem, quem ſemel inceſſit generoſa cupido ſcientiæ; hanc vel à circumforaneo oblatam arripui, arreptam tibi trado: Ideo maximè quod res ipſa quiddam habet notabile.

Dum aquis Spadanis hauriendis ſanitatis causâ indulget Hera, Ancilla quædam imprudens acum deglutierat, quæ tali ratione infixa erat partibus internis gutturis, ut loquelam ei redderet difficilem, illa ceterùm innoxia deſcendit ad tonſillas, atque

 ibi

ibi novem omnino annis hæſit manifeſta, quia tactu percipiebatur, nulla tamen inflammatione infeſta: puella anxia nihilominus, ne tandem in malum atrocius erumperet loco non ſuo poſitum metallum, varios ſollicitat Chirurgos, manum adhiberent exſcindendæ acui: nemo audet majoris mali formidine. Jam vigeſimum tertium annum ætatis agebat; cùm ſupervenit homo, ex eo genere, qui cùm nihil, vel parum de Medicina calleant, medicamenta tamen aliqua nacti, quæ cùm adhibita, morbos aliquos ſanent, illi omnia omnibus audent promittere, & dum omnibus manum adhibent, tandem quadam imbuuntur experimentali in multis ſcientiâ: is ergo, quem dixi, homo huic noſtræ accedenti facilem promittit ab ea ſive moleſtia, ſive anxietate liberationem. Illa credit: hic incipit: & cultro levi factâ inciſione turundulâ pellem nonnihil deducit, & magnetis (non pulverem, ut vulgò fit) ſed fruſtum vulneri apponit: res mira; poſt nonum diem lapidi adhæret acus, & puella liberatur.

OBSERVATIO XLV.

Λόρδωσις ſanata.

PRoceræ ſtaturæ vir quidam nobilis è Friſia quadraginta circiter annorum ſic incurvabatur, ut ſilicernium potius nonagenarium, quàm id ætatis homo occurrentibus videretur. Adiit ille varios, qui ſe vel dislocata membra reſtituere, vel malè conformata ad debitam figuram revocare profitentur; ſed irrito omnium conatu. Ægre id habebat hominem, & dum malo ſuo remedia quærit curioſius; me quoque adiit. Viſa eſt, non tam ex oſſium, quàm muſculorum malis humoribus obſeſſorum vitio orta eſſe mala hæc corporis conformatio. Præparandis igitur, & expurgandis humoribus dum operam do, eaque fomenta adhibeo, quæ iſti morbo cenſebam idonea; cœpit ille non præter ſpem, ſed opinione tamen meâ citius erigere ſe, & intra ſex hebdomadarum ſpatium ita ſanari; ut corpus illud procerum, rectum, ſanumque circumferret.

Non tam anatomica eſt hæc obſervatio, quàm admonitio, ne Anatomia incautos decipiat, dum exiſtimant omnem deformationem externam ſolùm ab aliquo internè diſtorto oſſe originem ſumere: quæ Operatoribus iſtis, ut vocant, non Medicis, id probè callentibus, data ſit cautio.

Observatio XLVI.

Oves aliquot & puer cerebro carentes.

Dum ſcrutor ea, quæ Anatomiam ſpectant, omnia diligentiùs, non tantùm oculos in cadavera, quæcunque ſecanda offeruntur, immitto; ſed aures etiam curioſas, ubicunque de his talibus ſermo, adhibeo.

Inter alia narravit mihi Lanius ſe oves aliquando habuiſſe adeo fatuas (eſt enim & ſua beſtiis ſapientia, eſt ſua fatuitas) ut neque edendi, neque bibendi à natura cunctis animalibus ſuggeſtos ſentire viderentur ſtimulos; ſed fame periiſſent, niſi ore vi aperto, alimenta ingeſſiſſet. Inceſſit eum cupido examinandi, num quæ fatuitatis hujus in capite extarent indicia, diviſo igitur ovis ejuſmodi cranio, nihil in eo cerebri, aquæ ſolummodo tantillum reperiſſe, idque, curioſitate unâ ſtimulante alteram, non ſemel ſibi in ovibus oblatum eſſe ajebat: non ad vanitatem fictam fabellam, ſed anatomicam hiſtoriam narraſſe tunc mihi viſus fuit, quando ipſe puerum ex hydrocephalia mortuum accepi. Medio circiter & quinque menſibus vixerat: ſuturæ capitis magno hiabant ſpatio, intus autem non cerebrum, ſed cerebri loco aquam reperi mucoſam, quod ideo commemoró, quod non meminerim ſimile quid à tot diligentiſſimis Anatomicis obſervatum.

Quod enim de puero quinquenni adfert Ampliſſi-

plissimus Dominus Consul noster * Nicolaus Tulpius, qui aquæ quinque libras capiti inclusas gestabat; licet admirabile sit, & non tantum in stuporem traxerit, sed etiam distraxerit in varias sententias eos, qui tum aderant, Medicos: tamen ut ipse Vir Amplissimus fatetur, oculi acie illuc penitus directâ, viderunt satis perspicuè cerebrum non defuisse, sed amissâ figurâ globosâ induisse formam convexi fornicis, adeo, quamvis stupenda admodum sit ista historia, non tamen est eadem cum hac ovium, & pueri nostri, ubi nihil cerebri repertum fuit.

* *Lib. I. Observ. 24.*

Observatio XLVII.

Mors ex sordibus in aspera arteria congregatis.

Dic ubi mors non est, si jugulatis aquæ? Dicebat ille. Sed án non majore ratione ego admirabundus exclamem, ubique mortem esse; cùm cultro anatomico causas ejus investigans, nusquam eam non latitantem invenerim: & nuper in vitulo morticino, ubi minimè suspicabar. Habebat is asperam arteriam fœno permixtisque aliis sordibus ita plenam, ut animæ interclusus fuerit exitus. Erat epiglottis ei parva adeo, ut vix medium tracheæ hiatum obtegeret. Hinc fœno paulatim, ut ex substantia ejus semiputrida apparebat, obturandæ arteriæ fecerat copiam. Nec in brutis hoc tantùm usuvenit: in puero triennali aliàs tracheam corrupti

alimenti ſordibus oppletam reperi, cui & epiglottidem fuiſſe, quæ non eſſet opplendo arteriæ illius oſculo, perſpexi.

OBSERVATIO XLVIII.

Cartilago fontanellæ ſimilis in oſſibus parietalibus, & frontis.

FOntanellam in medio capitis longo poſt nativitatem tempore ſæpe adhuc apertam, requirere magnam in obſtetricibus & nutricibus prudentiam, & in tractandis infantibus circumſpectionem, alibi à nobis dictum: ſed quod hac obſervatione inculco, illud eſt; quod natura nullis, niſi ſuis, adſtricta legibus, non ita præcisè (ut plerumque eam facere in Oſteogenia annotabimus) ſemper obſervat ſua tempora, quibus cartilagines in oſſa conſolidet. Oblatæ enim mihi fuêre aliquot infantium calvariæ, in quibus longo poſt nativitatem tempore oſſa parietaria mediam, fontanellæ inſtar, oſtentabant cartilaginem: os frontis in alia, in alia item tam frontis, quàm parietaria: unde conſtat nutrices, ſi temere nimis crudis manibus attrectent tenellula hæc corpuſcula, magnorum incommodorum cauſas exiſtere. Eſt mihi infantis caput, cui obſtetrix in partu difficiliore manus per has parietariorum cartilagines injiciens, ea à dura matre ipſa divulſit, quales errores ſæpius contingunt, & velantur monſtroſorum partuum prætextu.

OB-


OBSERVATIO XLIX.

Ren fœtus unicâ constans glandulâ.

IN renibus, tanquam in amplo quodam naturæ ludentis theatro, triumphare videntur Anatomici: dum alius desideratos eos quandoque fuisse, alius magnitudine supra modum excrevisse, alius ureterem ex postica eorum parte egressum fuisse, alius figurâ variasse, eos describit. Ego fœtuum sectioni frequenti dum indulgeo, quo eorum Osteogeniam perfectiùs adornarem, in quodam, qui octo jam mensibus arctas illas primi mortalium domicilii angustias inhabitaverat, renem inveni, quem etiam in scenam producendum putavi. Excedebat is quadruplo, & ampliùs fœtuum aliorum magnitudinem, constabatque ex uno continuato corpore, non ex glandulis in unam massam conspirantibus, uti & hic alter hujus, & semper omnium ordinariè fœtuum constant; & quod etiam præter aliorum morem in eo admirabar, venam habebat emulgentem duplici ramo jam inde à vena cava egredientem, uti figura ejus ostendit.

Tabula XVI. ad Observationem XLIX. Renem fœtus solitò majorem, unâ continuatâ substantiâ constantem, & venâ emulgente duplice præditum ostendit.

A. *Ren solito major, unâ continuatâ substantiâ constans.*
B. *Venæ cavæ truncus.*
C. C. *Binæ venæ emulgentes.*
D. *Ureter.*



OBSERVATIO L.

Varia observatione digna in puero.

QUam in puero nuper à me diſſecto inveni partium quorundam conſtitutionem, quia mihi ſpectanti attulit ex curioſitate voluptatem, ſpero non injucundum auditu fore lectoribus, ſi narravero. Inteſtina, ventrem inferiorem ſcrutanti (quia ingentibus ejus tormentis cruciatus obierat) omnia occurrerunt vacua, & ita vento diſtenta, tanquam ſi vi quapiam externâ, ut exſiccarentur, inflata fuiſſent: atque acquiſitâ per diſtentionem hanc mole & duritie ita compreſſerant hepar, ut manifeſta eorum ſibi impreſſa gereret veſtigia; ipſa autem viciſſim tincta eſſent aureâ flavedine ex bile, quam hepar coarctando è folliculo expreſſerant. Pylorus tam exiguo foramine erat pervius, ut vix flatum transmitteret: utrobique in duodeno & in recto loca quædam trium transverſorum digitorum magnitudine vento vacua, ita conciderant, ut parietes inteſtinorum ſibi agglutinati viderentur, nec flatum transmitterent. Remotis jam inteſtinis, infra peritonæum renem dextrum lapide inveni infertum, amygdali minoris magnitudine, quod uti in puero tantillæ ætatis (necdum enim annum vivendo expleverat) mirum, ita mihi hoc admirandum viſum eſt multò magis, quòd ureter renem illum egreſſus ſtatim folliculi fellis adultorum æquabat molem: poſt quam ſequebatur anguſtiſſima coarctatio; &


hanc rurſum excipiebat minor quidem priore multò, ſub tamen extraordinaria inflatio; atque ita viciſſim coarctatus, atque inflatus, quaſi per globulos paulatim minores deſcendebat ureter. Lapidis magnitudinem, & ureteris figuram delineatam dedi, ut quiſque eâ poſſit curioſos paſcere oculos, cui non contingit, ea penes me ſervata conſpicere.

Tabula XVII. ad Obſervationem L. Renem pueri & utererem monſtroſum oſtendit.

A. *Ren pueri adhuc glandulis conſtans conglomeratis.*

B. *Ureter exæquans folliculi fellis molem, & deinde alternatim in maximas anguſtias coarctatus, & rurſus in nimias laxitates diductus.*

C. *Lapis amygdali minoris magnitudine in dextro rene inventus.*



Observatio LI.

Pulveres ſternutatorii ſæpe noxii.

NOn ex tetrico illo ſum Medicorum ego genere, qui ita arte ſuâ ſibi blandiuntur, ut nolint quenquam quicquam conferre ad ſalutem, aut ſanitatem proximi, niſi id in ſcholis didicerit, aut promotione, quod ajunt, ſuâ licentiam acceperit bene merendi de proximo. Puto enim omnibus hanc à natura conceſſam veniam, ut, hominem ſi videant in aquam procidentem, ſubmergendum niſi ſubvenerint, extendant manum, & quà poſſunt, conſulant ſaluti proximi: ſi hoc, cur non & illud? ut ſi quid vel experientiâ propriâ didicerim, vel auditione acceperim, vel ſtudio mihi meo comparaverim ſcientiæ, id ipſum impendam aliis, ut eos à mortis periculo eximam. At enim multis incommodant, qui ſic prodeſſe volunt. Utinam tam felix eſſet Medicinæ, quam profitemur, ſcientia, ut nunquam illud, niſi ab iis, quos imperitos vocamus, accideret! quis ſpopondit Academiis, ut ii, quos ipſæ promoverint, nunquam errent, vel obſint, dum prodeſſe ſtudent? Latent inter homines etiam gregarios innoxiæ quædam & ſalutares medicinæ, quas nullus contemneret, ſi noſceret; & ſi noſtri, qui promotione ſuâ ita triumphant, non tantùm ex ſcriptis, ſed etiam ex iſtis traditionum libris vellent diſcere, næ iſti ſæpe melius famæ ſuæ, melius ſaluti ægrorum conſulerent.

An ergo pessimo illi circumforaneorum turbæ patrocinamur, quorum quisque passim tantâ temeritate & impudentiâ se Medicum jactat eum, cui parem nulla retrò ætas dederit, nulla dabit? Ne hoc in animum inducas tuum, audi, quam historiam tibi narrem, quidque de ea judicem.

Tempore quodam Harlemo petebam Amstelodamum, aderat in navi quidam de grege isto hominum, qui pulveres suos sternutatorios commendabat, ut medicinarum omnium compendium, & omnium Doctorum, ut ajebat, opprobrium; quippe qui subitò efficerent sine labore ægri, quòd illi catapotiis, & purgationibus præstare nequirent. Inter hæc rusticus quidam, nescio, an scrupulis quibusdam, an omine adductus, interrogat, numnam nocere posset pulvis iste, audivisse se ad mortem usque procedere posse sternutationes istas; ingereret audacter, reponit circumforaneus, sternutationibus, credo, frequentibus, & quodam miseri incommodo, eum ridendum volens propinare circumstantibus. Haurit impigrè rusticus, & sternuere ita vehementer incipit, ut sanguis sequeretur tantâ copiâ, ut miser exanimus concideret, & Amstelodamum delatus, diu decumberet. Quis foveat aut defendat nebulones ejusmodi, qui sic ludunt de corio humano? pœnas publicè dare oporteret tanta nequitia. Sed nolo hîc contra eos debacchari: illud tantum ex eventu observo, pulveres istos, quos ita temere quidam per nares trahunt, quibus helleborum album

bum admixtum eſt, non ſine evidenti aſſumi periculo; potius aquis ſternutatoriis utendum; vel ſi pulveribus, helleborum omittendum eſt.

Sed quid agas? an propter ſimilium hominum improbitatem non vis, ut ſinguli mortales ad Medicinam ſuum conferant ſymbolon? fiat, quæſo; ſic ab incunabulis ſuis crevit Medicina, ſic aucta, ſic corroborata eſt. Qui diligens harum traditionum erit obſervator, non parum proficiet, ſi quæ paſſim traduntur, ipſe in penum ſuam reponat, & arte judicioque limet ea, quæ indigeſta à vulgo offeruntur.

OBSERVATIO LII.

Monſtrum informe.

QUod cernis errantis naturæ prodigium anno M. DC. LXIV. in pago, qui *Velſen*, dicitur, editum eſt à muliere, quæ gravidationis tempore me conſuluerat. Corpus enim verſus ſiniſtram partem vehementer intumuerat; pars dextra adeo conciderat, ut in ea nullum prolis appareret veſtigium: unde & illa, num gravida eſſet, dubitabat. Conquerebatur autem de graviſſimis doloribus, inſomniis terrificis, & de conſtitutione totius corporis, quæ ſibi ſe gravem, & moleſtam reddebat. Poſt varia, ſed irrita dolori leniendo adhibita medicamenta, tandem hunc partum mortuum enixa eſt, manibus pedibusque informem; pectus uno, venter alio tumore aſſurgebat; caput quid referret, nemo facile

dixerit,

Tab. XVIII



dixerit, tam longè ab humana capitis forma recesserat: nihil in toto monstro visendum; nisi tanta & tam longè ab hominis figura recedens monstrositas.

OBSERVATIO LIII.

Sarcoma totam uteri vaginam occupans, forasque propendens.

ITerum eorum sententiam, qui uterum foras prodire, & extra corpus ipsum propendere existimant, cultro anatomico impugnabo.

Coloniæ Agrippinæ mulier erat, quæ hystericis passionibus mirum in modum cruciabatur; qui eam curabant, procidentiam uteri earum miseriarum causam esse, & scire se, & manu tangere opinabantur; propendebat enim extra corpus quidpiam, quod illi non aliud, quàm uterum esse, vel esse posse existimabant: hæc interim mulier omnia, quæ menses obstructi, & reliquus uteri furor excitare solet, miserrima symptomata perpessa, tandem anno M. DC. LXV. mense Augusti morte ab his liberata fuit.

Excurreram eo tempore Coloniam, & curiositatem meam urbi visendæ, ut hæc microcosmi cernerem miracula, subtrahebam: dum ergo Chirurgis hoc cadaver secantibus adsum, causa apparuit tantorum malorum prorsus alia, quàm opinati fuerant: non enim prociderat uterus, quod fieri non posse, jam sæpe monemus, sed interno ejus orificio adna-

tum erat ſarcoma, quod diductum per totam vaginæ longitudinem extra corpus ſeſe oſtenderat.

Poſtea aliam ipſe ſecans puellam, inveni ſimilis ſarcomatis rudimentum inſtar dactyli orificio uteri interno adhæreſcens, quod ſi tempore adauctum fuiſſet, eadem ratione incautis Chirurgis, vel Medicis impoſuiſſet, qui uterum ſemper immobiliter loco ſuo conſiſtentem, tanquam vagantem per omnes partes ventris cum Laurentio, vel tanquam procidentem cum pleriſque aliis accuſaſſent.

Observatio LIV.

Varia uno in corpore morborum exorbitantia.

VII. die Februarii anni M. DC. LXVIII. varia & mirabilia in uno ſubjecto plurium nobiſcum anatomizantium oculis oblata ſunt ſpectacula, quæ, quia picturâ difficilè eſſet exprimere univerſa, hîc calamo, quà potero, depingam.

Vir erat, qui in Noſocomio Amſtelodamenſi paupertatem miſeriaſque vitæ multiplices unà cum vita depoſuerat: dumque is in corona Medicorum ſecaretur, exhibuit pulmonem ſiniſtrum exulceratum, pectus aquâ repletum, dextrum renem flaccidæ ſubſtantiæ duplo, quàm natura requirit, majorem; ſiniſtrum, juſtâ quidem magnitudine, ſed plenum materiâ purulentâ, cui immiſti erant lapilli quidam nigricantes, &, quod magis meruit ſtuporem omnium, infra ſcrotum fiſtula apparebat, quâ

per-

perforatâ etiam veſicâ multos jam annos urinam reddiderat; obturato prorſus meatu urinario. Ad has miſerias etiam epiplocele accedebat, quæ epiploon teſticulis firmiter affixerat. Docebat hoc infelix ſpectaculum, quantæ pro una ſanitate Deo agendæ ſint gratiæ; cùm in ea tot contineantur beneficia, quot unicum corpuſculum tentari poteſt infirmitatibus.

OBSERVATIO LV.

Omentum tam in fœtibus, quàm in adultis reperitur.

OMentum in fœtu non reperiri, quia nondum eſt ventriculi & inteſtinorum concoctio, ſunt, qui ſentiant. Qui, ſi de ſe loquerentur, aſſererentque ſe in fœtibus omentum non reperiſſe, facilè iis fidem haberemus: ego verò, quia inter tot, quos ſecui fœtus, nullum inveni, qui omento careret; facilè adducor, ut credam fœtus omnes eo præditos eſſe, niſi quis fortè occurrat, qui inter monſtra, aut extra ordinem inter naturæ miracula, ſit recenſendus.

OBSERVATIO LVI.

Substantia glandulosa pendens uncias septem inferne ejecta.

M*Edici hæc potiora putant, quàm certâ morte perire:* agens de iis ægrotis, qui ad desperationem laborant, & inter propemodum certos mortis timores, dubiam aliquam spei lucem ostentant, inquit latinus Hippocrates: & verè ita esse expertus sum in femina quadam habitante *Heemstadii*; pagus is est, juxta arte suâ texendi nobilitatum Harlemense oppidum, non ignobilis. Laborabat jam quinque annis cum hectica febre dolore ventris intolerabili, quibus, quod alterum accederet malum, paupertas, deserta est à Medicis, crescentibus autem quotidie, & augescentibus doloribus, ipsa ita evanescebat & minuebatur, ut tandem umbram sepulchralem potius referret, quàm hominem.

Degebam id temporis circa ea loca, fugitans urbis frequentiam propter contagionis periculum; accedentem ergo ad me hanc mulierem, iis aggressus medicari potionibus, quæ bilem, unde suspicabar inter cetera mali originem, corrigerent & depellerent: at illa inter purgandum intolerabilibus cruciabatur doloribus, ægrescebatque medendo indies magis, & macie consumenda, doloribusque enecanda videbatur: suspicans igitur altius latere morbi causam, omnia tentanda ratus priusquam eam desererem; recor-

recordatusque ſuperiùs allatorum verborum Celſi, vegetiore quodam emetico, quo ſæpe in deſperatis felici cum ſucceſſu uſus ſum, morbum aggredior, cum apozematibus cholagogis, aliisque medicamentis me jam vel ſatis præparaſſe materiam, viaſque, quâ pertinax malum educerem, diſpoſuiſſe, vel plus, quàm ſatis operam, ſi nihil effectum eſſet, luſiſſe exiſtimarem. Sumit illa potionem, nihil evomit, ſed poſt copioſas doloriſque plenas dejectiones, tandem prodit infernè corpus quoddam glandulosum tres palmas longitudine, latitudine binos adæquans digitos, quod ſeptem pendebat uncias; ſequitur id ingens copia ſanguinis, &, mirum dictu, femina ſe recreatam ſenſit, & poſtmodum convenientibus ſecundum rei exigentiam medicamentis curata, prorſus convaluit. Tanti eſt ægros altero jam pede cymbam Charontis prementes, aliquando generosâ manu revocare, & vitæ aſſerere.

OBSERVATIO LVII.

Sanguis & ossa fœtus flavo colore ex ictero matris imbuta.

SÆpius transire in fœtum matris morbos vulgatum adeo est, ut illud vel argumentis astruere, vel observationibus probare supervacaneum sit; quod tamen inter secandum tot cadavera se mihi XI Februarii anno M. DC. LXVIII. obtulit, nescio an non inter minus vulgaria sit recensendum.

Mater ictero laborans, octavo gravidationis mense puerum peperit mortuum quidem, quod isto mense non est mirandum: sed quod ego stupebam, ita flavum, ut è cera confectus puer, non partus humanus videretur. Eum potestatis meæ factum, seco, pro sanguine humorem fellis instar flavum reperio, eumque diligenter lagenâ exceptum servo; ad ossa ubi perventum, ea sic erant eodem humore, eodem colore flavo imbuta, ut, si non ipse secuissem corpusculum, illudi mihi, atque arte tincta fuisse putassem. Est penes me etiamnum plena sanguine isto lagena, est sceleton ipsius pueri non minus rarâ sui compositione, quàm colore isto visendum. Vix credes fucum abesse, nisi synceritatem meam ex aliis, quæ hîc narro, & in museo servata ostendo, comprobaveris.

Observatio LVIII.

Oleum Vitrioli imprudenter & infeliciter vulneri ſanando adhibitum.

Miles quidam juvenis, viginti circiter annis vixerat, cùm ad bellum, quod Cæſar contra Guſtavum Adolphum Sueciæ Regem in Germania id temporis gerebat, proficiſcitur. Hic cui belli fortuna inter ignitos globos pepercerat, ab equo calce percutitur, & in tibia vulneratur, ita ut focile majus aliquid læſionis, quod poſtea patefactum eſt, accepiſſet. Medici caſtrenſes id vulnus conſolidant, & homo ſe probè ſanatum exiſtimans, nihilque ſuſpicans mali, ubi ſacramento militari ſolutus eſt in Hollandiam ſe confert, atque Harlemi ductâ uxore liberis operam dat: poſt viginti annos, aut eo amplius, (quis credat tam diu ſanationem poſſe diſſimulari) poſt tantum, inquam, tempus ſponte aperitur ibidem loci tibia, & ſeſe egerit oſſea quædam lamella à focili majore deciſa; nec in feliciores hîc domi incidit Chirurgos, quàm militiæ inciderat; iterum cicatrice obducunt perſanatum, ut arbitrantur, vulnus: ſed quis fallat omniſciam, ut ſic loquar, naturam, illa non colludit noſtris erroribus, & quod ignorantia celaverat, ſuo detegit tempore: poſt medium annum rurſum illa occultum molitur ſub carne iter, & alterum oſſiculum protrudit craſſius multò, multoque majus. Jam amoverat

impe-

impedimenta omnia ſynceræ ſanationis, optima, imò ſola morborum medicatrix natura, & jam ſeriò in eam incumbens callum cœperat generare, ut eo, quod deperditum erat ex oſſibus, reſarciret; ſed, ô miſerum hominem! jam pene fateri pudet artis communis causâ; pejus etiam tertius erravit adhibitus vulneri Chirurgus, hic enim fungum arbitratus, quod callus erat, quia putabat ad perniciem ſuccreſcere, quod benigna mater ad ſanitatis integritatem, jam dum tempus erat, ſuggerebat, oleo vitrioli callum aggreditur, dumque videt, quod uno die per imprudentiam exſtirpaverat, altero prodigâ ad benefaciendum benignitate iterum reſtaurari, ita pertinaciter cum omnium parente decertat, ut dum oſſium ſicca ſubſtantia imbibit quotidie aliquid de vitriolato oleo, totum focile majus in talem abierit ſubſtantiam, qualis ceſpitum bituminoſorum apud Hollandos eſt, quæ in nigra fruſta paulatim ſolvebatur & excidebat. Dum ita per ſeſquiannum pugnatur iniquiſſimo certamine, æger infinitis excruciatus tormentis tandem miſeram eluctatur animam. Non hîc ſubjungam admonitionem ad Chirurgos, ut cautiùs utantur oleo iſto vitrioli, maximè circa partes oſſeas, quæ facilè eo corrumpuntur, ne videar paucorum imprudentiâ omnes incuſare; hiſtoria hæc ſatis admonet juvenes & imprudentes; veteranis & artis ſuæ probè gnaris nihil admonitione eſt opus, quapropter eâ lubens ſuperſedeo.

OBSERVATIO LIX.

Vermis renum ſimul occupans totum ureterem.

INtelligentiâ & ratione ſolâ ceteris præſtat animal illud, quod pro nobiliſſimo ſuo ſubjecto aſſumpſit Medicina. Mentem curare eſt Philoſophi, ideoque cum angelicis eam mentibus comparat, hominis perfectiones ad earum præſtantiam exigit & emendat, imò divinæ mentis attributa conſiderat, ut ex infinitis iſtis & ſupereminentibus perfectionibus aliquam ideam effingat, ſecundùm quam corrigat defectus humanæ intelligentiæ. Ignoſcendum ergo eſt Medicis, quòd cùm & minora & majora corpora in rerum natura reperiant, quàm id, quod illi conantur perficere, aliquando ab hoc ad illa reſpiciant, & brutorum partes, viſceraque ſcrutentur, ut inde ad hominem ſuum redeant, quem vivere volunt vitam quàm pauciſſimis infirmitatibus fatigatam. Præfandum hoc erat, ut te bonâ tuâ veniâ, Lector, ad corporis canini quaſi ſaburram deducerem, inde aliquid relaturus, quod tibi in curandis hominibus aliquando poſſit venire uſui.


Canem venaticum vidi, qui tortus graviſſimis doloribus, noctes dieſque & ſe & Herum, Herilemque familiam laſſabat clamoribus. Moritur tandem ille, & mihi tot dolorum cauſam perſcrutanti apparuit in renum altero, qui corruptus erat, vermis ingens, facilè ulnam quartamque ulnæ partem longi-

tudine exæquans, qui ex rene proreptans totum ureterem occupaverat, ſic ut magnâ ſui parte adhuc reni inhæreret: ſubſtiterat, ut videtur, ad inſertionem ureterum obliquam, quâ veſicam ingrediuntur, ſi illam perfringere potuiſſet in veſicam prolapſurus, & fortè animal morte inſtante, & tot liberaturus doloribus, ſiquidem per meatum urinarium inveniſſet exitum: ſed hoc conjectura, illud certa ſcientia, renis corrupti vicem in hoc cane ita ſuppleviſſe alterum, qui ſanus erat, ut magnitudine præter morem adauctus, ureterem etiam exhiberet canali longè vulgaribus patentiore. Adeo natura ipſa ſibi opitulatur, donec vi victa mali tandem cogatur ſuccumbere.

OBSERVATIO LX.

Caput monſtroſum fœtus.

SI obſervationum medicarum ornamenta & quaſi gemmæ ſint monſtra; quod hoc capite deſcribo, adamantis inſtar ſplendebit in iſto opuſculo. Puer eſt, vel potius fœtus quinque menſium, in quo potentia conformatrix humani corporis nuſquam



niſi

niſi in capite aberraverat, tam enim erat omnibus membris perfectus, quàm imperfectus & inconcinnus capite. Dum adhuc carne & cute tegebatur, maxillâ carebat inferiore, pro illa carneam quandam ſubſtantiam, cum ea ſuperioris maxillæ parte, cujus hîc oſſa depicta ſunt, in roſtri porcini ſpeciem protendens: oculi ad latera receſſerant. Iam verò reliquam deformitatem, quis facilè ex inordinata oſſis figura collegerit, in quo os jugale nullum reperiebatur, nec inter os temporum & alia ulla apparebat diſtinctio. Fontanella præter morem propemodum clauſa: occipitis os exiguum admodum: non figuram, quam oportet, non uſum, quem ſolet oſſeæ iſti ollæ, quæ caput in humanam efformat concinnitatem adferre poterat. Delineatio appoſita id melius, quàm ſcriptura exprimet. Hanc intuere, ſodes, neque monſtro huic in meras naſcituro miſerias æternas obortas eſſe tenebras, antequam lucem noſtram aſpexit, miſerabere.

Observatio LXI.

Claudicationis per instrumenta ferrea sæpe irrita, per alias chirurgias sæpe palliata est sanatio.

QUantùm inter mortales valeat præconcepta de aliquo bona malave opinio, vel eorum docet fortuna, qui se vel membra distorta & luxata restituere, vel malè conformata ferramentis, aliisque organis in debitam formam reducere profitentur. Ad hos enim, quia subinde succedit, quod promittunt, non secus atque ad Deos quosdam tutelares undique accurritur, & ab eorum ore, tanquam ab oraculo, pendetur, & quia aliquid subinde efficiunt, quidlibet præstare posse creduntur. Quantumvis autem sæpe eos arrogantia sua, & alios nimia credulitas fallat, tamen perseverat rude vulgus in ea opinione, quâ ejusmodi homines supra omnes Medicos sapere existimant. Hisce quàm utilis esset Anatomiæ cognitio, ut minus sæpe errarent, unica docebit historiola.

Neptis quædam mea sex præter propter annos nata, quod pes alter altero contractior esset, claudicabat: primùm ad Operatorem quendam, ut hîc vocant, deducta facili operatione manuum corrigebatur vitium, levi tantum tractione, quod brevius erat crus reddebatur alteri æquale; sed vix erat è manibus dimissa magistri, ecce tibi malum integrascit, & quàm leviter correcta erat, tam subitò redibat clau-

claudicatio. Convertuntur ergo parentes ad hos, de quibus agebam, membrorum diſtortorum, aut luxatorum Reſtitutores : itum eſt ad varios, qui variè ſuam prodebant imperitiam. Alius os innominatum ſùs deque moveri dicebat : alius incurabilem eſſe morbum ſeverè pronuntiabat, cur tamen ita eſſet, non addebat. Non nego me diu admirabundum hæſiſſe in inquirendo cauſam hujus incurabilitatis; donec oblata eſt puella mortua, quæ eodem morbi genere viva laboraverat : perſcrutanti enim regiones illas, occurrit oſſis innominati acetabulum debito largius multò & profundiùs; caput autem, quod ei inſerebatur, non tantùm ei non proportionatum, ſed etiam præter morem exiguum : laxatis igitur nonnihil ligamentis ſurſum ac deorſum ferebatur caput oſſis femoris : adhibitâ autem manu extrahebatur ad acetabuli anteriorem partem unde apparebat qualis qualis ſpes perfectæ aliquando ſanationis : ſed quis attingat medicamentis hæc relaxata vincula? aut quid juvent hîc adhibita ferramenta? quibus nonnulli ita miſerè eos, quos curandos ſuſcipiunt, cruciant, ut ferè præſtet in equuleo diſtendi, quàm in manus eorum incidere.

OBSERVATIO LXII.

Puer variolis repletis pulmonibus ſubitò præfocatus.

GRaſſantibus Amſtelodami, ut per temporum intervalla propemodum ubique locorum fieri amat, variolis; tanta illis adjuncta erat mortalitas ſub initium anni M. DC. LXIX, ut de centum circiter & triginta funeribus, quæ ſingulis efferebantur hebdomadibus, centena eſſent puerorum, hac plagâ puerili extinctorum. Inter alios unus, cui poſteaquam cum ardentiſſimâ febre natura variolas foras protruſiſſet, eæ ſubitò repercuſſæ intrò receſsêre, nec procedebant ad requiſitam hoc in morbo, ſi ſanandus ſit, maturitatem: hinc puer omni expectatione citiùs ſuffocatus, ſubitò interiit.

Quantumlibet ingrata videretur ejuſmodi corpuſculi contrectatio, tanti mihi tamen videbatur ſcire tam ſubitæ ſuffocationis cauſam, & viſcerum interiorum tali in morbo conſtitutionem, quam niſi cultro ſuo Anatome revelaret, perpetuis tenebris involveret ſepultura. Inveni ergo pulmones ita undique variolis intus & foris plenos, ut nihil prorſus in iis ſani conſpiceretur, erant autem variolæ iſtæ in vigore ſuo maturæ, & pure turgentes, quæ etiam flavæ cujuſdam aquæ tantillum in cavitatem pectoris effuderant: ut mirum non eſſet, tam miſerè afflictum viſcus non ſufficere potuiſſe reſpirationis officio. Ubi deſcendo ad inferiora ſcrutando, ecce tibi lien non minus, quàm pulmo infectus, tumi-

tumidus & durus. Inteſtina hinc inde tantummodo apparebant variolarum quaſi gemmis diſtincta; ſed hepar intactum & ſanum perſtiterat.

Hîc illa me ſubiit cogitatio. Quid ſi puero huic in ipſo morbi principio exhibitum fuiſſet medicamentum catharticum, an non imminuta fuiſſet peccantium humorum copia? an tanto impetu intrò reflexæ variolæ viſcus nobiliſſimum tam ſubitò peſſum dediſſent? certè ſperandum erat mitius ſæviturum fuiſſe morbum hunc, ſi tali remedio fuiſſet præventus: & ſi fortè eâ ratione medicanti non ceſſiſſet fatalis neceſſitas ob reſtantes nimiâ adhuc copiâ humorum reliquias, an ideo (quod multi tam temerè faciunt) hîc accuſanda Medici temeritas? an ideo utiliſſimum vel omittendum, vel culpandum remedium, quia licet id effectum ſuum ad ſanandum ægrum convenientiſſimum produxerit, aliæ tamen cauſæ, quæ ab hoc nec originem, nec incrementum ſumpsêre, ægrum de medio tollunt?

Potius ego diris proſequendum judicaverim eum Medicum, qui creditum ſibi ægrotum, non audet convenientibus opitulari medicamentis, panico illo territus timore, ne ſi quid præter ſpem acciderit, eum vel imperiti, vel invidi culpent, & invidiosè traducant ea, quæ ſanitati recuperandæ aptiſſimè erant adhibita: nihil egregii præſtabit in arte ſua, parumque acquiret vel famæ, vel gloriæ quiſquis ita reputationis, ut vocant, ſuæ reputat habendam eſſe rationem.

Observatio LXIII.

Varius circa ſuturam frontalem naturæ luſus.

Neſcio an tam utilis ad praxin, quàm ad ſpeculationem ſit curioſa, quàm nunc adfero, obſervatio. Adfero tamen, quia & theoriam amas Lector, & ex hac ſæpe cùm minimè ſperatur, ad illam exiſtit plurimum adjumenti. In quibus ſutura per os frontis ad naſum uſque producta viſitur, ii non habent cavernam illam, quæ ſupra naſum medio quodam pariete in bina quaſi cubicula diſſecatur, aut ſi habent, ita habent exiguam, ut memoratu vix digna videatur. Ecce autem cranium digito oſtenderem, ſi in muſeo adeſſes meo, amice Lector, quod & ſuturam illam inſignem, & cavernulas illas ita notabiles habet, ut vix in quoquam majores reperiantur.

E converſo vidi ego in Noſocomio Amſtelodamenſi, ſed quia ſepulturæ mandatum eſt, oſtendere non poſſum, caput, quod tam ſuturâ iſtâ frontali, quàm cavernâ, de qua ſermo, carebat: ſi quibus Anatomicorum hæc talia oblata fuerint, non dubito quin hiſce naturæ exorbitantibus varietatibus, quæ ludum ſuum ludere eſt pertinax, mecum admirabundi oblectentur; qui non viderunt, hinc diſcere poſſunt, quanta ſit ubique laſcivientis matris noſtræ communis petulantia.

OBSERVATIO LXIV.

Imaginationis prodigium.

VIres imaginationis, cùm ab aliis, tum à Doctissimo Thoma Fieno libello super ea re edito, satis decantatæ jam fuerunt: ne tamen anicularum fabulæ esse videantur posteris, quæ à majoribus nostris tam admirabilia referuntur, identidem quædam narranda sunt, quæ per singulas ætates accidunt, ut fides habeatur iis, quæ aliàs fidem superare videntur.

Filia præterpropter tres annos nata, cujus mater jam septem menses & dimidium gestabat uterum, imprudens per valvas supernè prolabitur in caput: advocatur Chirurgus, qui post artis suæ tentamina, os occipitis confractum esse pronuntiat; hoc quasi fulmine icta mater, ita percellitur, ut post octo dies infantem edat in lucem vitâ, & toto occipitis osse carentem: loco ossis visebantur quædam pelliculæ dilaceratæ & divulsæ ab invicem.

Dic, Oedipe, os illud quâ vi sublatum, quem in locum translatum fuit? nulla imaginatio vim hanc suam imaginari, nullus intellectus intelligere potest. Nos quod factum est narramus, quî fiat juxta cum omnibus ignorare nos fatemur.

Tabula XX. ad Observationem LXIV. cranium, quod loco occipitis pelliculas quasdam habebat, ostendens.


A. *Cranium fœtus abortivi à posteriori parte visendum.*

B. B. *Ossa parietaria.*

C. C. C. C. *Pelliculæ quasi dilaceratæ undique dependentes loco ossis occipitis.*

D. *Fissura in osse parietario.*

Tab. XX



Observatio LXV.

Varia in puero duorum annorum obſervanda.

Cordi ſuos eſſe morbos, eoſque tam ſimilares & organicos, quàm communes, uti confeſſione omnium conſtat, ita certum eſt tres illos, qui ſyncope, palpitatione cordis, & virium debilitate cenſentur penè ſolos medicantis conſilium admittere, ceteri enim citiùs extinguunt hominem, quàm poſſit aut de morbo queri, aut medicaminis uſum adhibere: nihilominus tamen ego, qui per Anatomiam non tantùm quomodo ægri curentur vitâ ſuperſtite, ſed etiam quid in vita jam defunctis præter morem reperiatur, perſcrutor, ut materia ſuppeditetur curioſis conſiderandi, an fortè quid ex iis, quæ facta fuiſſe vident, in jam mortuis, elici poſſit, quod ad viventium faciat ſalutem, hîc commemorabo, quid in puero duorum annorum mihi 11 Decembris anni M. DC. LXVIII. oblato invenerim.

Erat is macie ita confectus, ut vix hæreret oſſibus, ad latus ſiniſtrum in muſculo maſtoidæo exulceratio erat, quæ uſque ad ipſam jugularem venam penetraverat, eamque corrodendo ſic extenuaverat, ut puris ſubtilior materia percolaſſe per eam videretur: non exiguam namque ejus copiam ſanguini permiſtam in dextro cordis ventriculo, corde aliàs ſano & integro inveni, quàm, ut dixi, transcolatione eò perveniſſe ſuſpicatus ſum, ſed unde puris ejuſdem

craſ-

crassiusculi benè cocti copia, item magna è regione in dextro latere ad eundem musculum, intus & foris sanum penetraverit, ego divinando assequi non potui: proinde aliis hoc considerandum relinquens, dicam quæ in hoc subjecto curioso cultro nostro anatomico præterea occurrerint. Lien induratus erat & magnus; pendebat enim uncias septem & tres unciæ quartas: hepar contra consumpto ferè parenchymate non nisi quinque uncias & quadrantem ponderabat: biliosâ id plenum erat materiâ, quæ propter obstructionem ductûs communis in illud redundaverat; bilis interim drachmas undecim (magnum pro ea ætate pondus) exæquabat. Pancreas magnum erat & scyrrosum, quod in chronicis morbis sæpe contingere observavi. Succus ejus tam acidus, ut in duodeno bili admistus, tamen adhuc insigniter eum saporem retineret; hac aciditate suâ ita ventriculum & intestina perederat, ut dum inflare ea vellem ad minimam distentionem rumperentur, non immeritò igitur Vir Clarissimus Franciscus de le Boe Sylvius in praxi sua plurimorum morborum causas refert ad hanc succi illius aciditatem.

OBSERVATIO LXVI.

Pueri præ pinguedine nimia extincti Anatomia.

MAcie confectum vidimus & examinavimus puerum biennalem; examinemus nunc pinguiculum & craſſiuſculum medio anno ſeniorem, qui oblatus fuit xxv. Novembris ejuſdem anni, & neſcio an alio morbo, quàm nimiâ pinguedinis abundantiâ obierat. Vidi candelam non rarò nimiâ ſuâ pinguedine extingui, præſertim dum flamma ellychnii exigua debilior erat, quàm ut affluentis ſevi abſumeret copiam: idem hîc factum, ſi affirmem; omnes corporis partes ſanæ & integræ, ſed pinguedine undique obrutæ, meæ ſuffragabuntur ſententiæ; ſi enim pueri exteriùs pellem tangeres, indicem uſque ad primi articuli finem imprimebas: interiùs autem exiles muſculos pinguedo copioſa circumdabat & abſcondebat. Aperto thorace, cor abeſſe ſacerdotum veterum quiſpiam, qui eâ ratione populo imponebant, exclamaſſet: latebat enim ita pinguedine obvolutum, ut non appareret, hodieque à me ſervatum ſub eadem pinguedine deliteſcit, uti & pericardium, cujus membrana vix conſpiciebatur. Inferior venter viſcera omnia ſana, ſed omnia vix ſemeſtris pueri magnitudinem exæquantia dabat, ita erant omnia una pinguedo; omentum & meſenterium adeps pura. Cum cerebro autem flaccido ventriculis incluſa erat aqua inſipida; plexus cho-

choroides obſeſſus hydatidibus, quarum una ad nucis avellanæ excreverat magnitudinem. Oſſium tota compages nec formâ, nec magnitudine uſquam deſciſcit à pueri perfectiſſimè ſani, minimeque monſtroſi oſſibus.

OBSERVATIO LXVII.

Multiformis calculorum varietas.

CAlculo aut lapide laborare plurimos mortales, etſi inter ceteras naturæ noſtræ deplorandum ſit miſerias; attamen inter obſervatu digna, aut ſanandorum morborum prodigia recenſendum non eſt: inter quæ meritò reponetur, quod Joanna quædam Nicolai, femina ætate adhuc vegeta, poſt ingentes dolores, tandem cruciatibus penè intolerabilibus enixa eſt hunc, quem appinxi, lapideum fœtum, ſubſtantiâ duriſſimum, æquantem pondere uncias tres, & totidem unciæ partes: longitudine, digiti minoris extenſionem; latitudine, digitos transverſos fere tres; duos autem craſſitie: occupaverat ille longitudine ſuâ veſicæ latitudinem, quod indicant binæ utrimque foveæ, quas urina decurrendo excavaverat; dumque caſu, neſcio quo, tempore quodam verteretur, ut longitudo ejus deorſum vergeret; ſtimulatâ naturâ tum pondere jam orificium veſicæ premente, tum aliunde propter virium integritatem, & urinæ retentæ abundantiam auxiliantibus aliis copiis, tandem ſine Chirurgiæ ſubſidio

dio exclusit hunc, quem describo, lapidem, feminaque sana & integra sine ullo circa vesicam, aut meatum urinarium incommodo etiamnum vivit, aliquot jam annis post stupendam hanc à lapide tanto liberationem.

Non æquè feliciter cessit alteri, cui post mortem exscidi lapillum hunc nigrum ex ureteribus, quibus impactus, propter inæqualitatem substantiæ elabi non poterat, atque ita hominem miserè interemit; præter magnitudinem (pendebat scrupulum cum dimidio) ea in parte stupendam, color ejus nigerrimus, & substantia ad tophi similitudinem accedens, eum fecerant dignum, quem hîc repræsentandum curarem.

Uti & tertium eâdem tophum referente substantiâ, scrupuli pondere, quem vir post aliquot hebdomadum vel dictu, vel cogitatu horrendos dolores tandem in lucem edidit. Cui qui adjacet, eum puer quadriennis peperit, obstetricante cultro chirurgico, qui penem diffindendo viam ei laxiorem reddidit.

Per transennam hîc annotabo sæpe in ureteribus inventos à me esse, credo etiam ab aliis, lapillos minusculos quosdam parietibus adhærentes, qui viam aliis transeuntibus occludunt, & vehementer, ab iis tacti, augent hominis eo morbi genere afflicti cruciatus.

Tabula

Tabula XXI. ad Obſervationem LXVII. varios exhibet lapides.

FIGURA I.

Delineat lapidem magnitudinis ſtupendæ ſponte emiſſum.

A. *Lapis pendens tres uncias, & totidem unciæ partes.*
B. B. *Foveæ ab urina decurrente excavatæ.*

FIGURA II.


Lapis eſt niger, pendens ſcrupulum cum dimidio tophi formâ, ex ureteribus exſectus.

FIGURA III.

Lapis ſcrupuli magnitudine à viro ejectus.

FIGURA IV.

Lapillus, qui hærens in pueri pene, cultro inde exſectus eſt.



OBSERVATIO LXVIII.

Ductus ſalivalis aberrans fiſtularum inſanabilium ſæpe cauſa.

QUos ductus ſalivales curioſa Doctiſſimi D. Nicolai Stenonis ſeculo noſtro manifeſtavit induſtria, mihi in vitulo dierum quatuordecim perſcrutanti, quod in eo ſeſe animali clariùs, quàm in homine oſtendant, quiddam occurrit, quod obſervaſſe non pigebit Chirurgos, dum aliquando circa tumorum expugnandorum contumaciam nequicquam ſuam ludunt operam.

Deflexerat enim ductus ille, (cujus radices parotis conglomerata, quique oſtium ſuum in buccis reperiens, ibi ſeſe exonerat) verſus laryngem, ibique humoris ſui, qui ore excipi ſolet, exitum non inveniens, tumorem ingentem excitaverat lentâ materiâ redundantem. An non hæc fiſtularum, ad ſtuporem mortalium perpetuos uſque humores ſuppeditantium ut cauſa dici, ita ex eadem poſſet inveniri via eaſdem faciliùs perſanandi? Quiſquis non ad otioſam naturæ cognitionem, ſed ad fructuoſam hominum curationem, vel lectionum anatomicarum ſubis faſtidia, vel ſectionum exhauris labores, age ſis ſpeculare, experire, ſuppeditabit aliquid hæc brevis obſervatio, quod ab aliis derelicta ſanando, gloriæ tibi multùm, utilitatis non parum adferet.

OBSERVATIO LXIX.

Cor triplici ventriculo præditum.

NOna Maji anno M. DC. LXVIII. infans, qui non niſi tribus menſibus communem mortalibus hauſerat lucem, ut tum præmaturæ in illo mortis cauſam, tum certas conſervandæ in aliis vitæ rationes indagarem, cultro noſtro anatomico ſubjectus fuit. Ac dum in alia intentus temere venam cavam, vicinaque ei & vaſa & ductus diſcidiſſem, ecce tibi cor triplici diſtinctum ventriculo occurrit: ego rem miram admiratus, curioſos intendo oculos, & in duobus, quos ideo dexteros appello, invenio ſingulas arterias pulmonarias, quæ poſt egreſſum ex iſtis ventriculis coaleſcentes, uno canali ſanguinem in pulmones, deinde variis ductibus per eos diſpergendum, effundebant.

An per duplicatam venam cavam, an quo alio modo ſanguis ad hos ventriculos deductus fuerit, me latet; quod, uti dixi, non exſpectans tantam rei novitatem, ea vaſa jam corrupta, ad ſpeculationem accuratam revocare non poteram: potui tamen, quod & feci, cor ipſum ad perpetuam rei memoriam perpetuò viſendum, incorruptione, quâ cetera muſei mei cimelia, donare.


Tabula XXII. ad Obſervationem LXIX. cor triplici ventriculo præditum oſtendit.

A. *Cor triplici præditum ventriculo.*

B. B. *Duo dextri cordis ventriculi.*

C. *Siniſter ventriculus.*

D. *Arteria pulmonaria ex utroque dextro ventriculo prodiens.*



OBSERVATIO LXX.

Capitis vulnera incertæ judicationis.

NOn aliâ re magis deludi tum Medicos, tum Chirurgos, quam capitis vulneribus ita notum, ut nullus ignoret, inde exortum proverbium; capitis vulnera lenia ſæpe videri cùm ſint periculoſiſſima, & quæ fatalia apparent, omni ſubinde carere periculo. Confirmavit hoc mihi miſerabile pueri novennis fatum. Is præceps in caput ceciderat, inde domum delatus maximis cœpit urgeri capitis doloribus: facies & caput totum paulatim intumeſcere, ipſe febre continuâ laborare, poſtea excæcari, ac tandem debilitatis paulatim nervis omnibus torpere membris, ac poſtremò apoplexiâ enecari. Chirurgis interim nullam in oſſe fiſſuram animadvertentibus, ubi defuncti jam doloribus, & vitâ caput aperio: accuratiùs licuit contemplari, quid intus latuerit mali. Detractâ itaque cute ex capite ſtatim plurimum effluxit aquæ, circa temporales arterias hydatides repertæ quamplurimæ, quarum pars incraſſatis humoribus atheromata, pars ſteatomata, & quædam etiam melicerides referebant, variè ſecundùm varias circumſtantias inſpiſſatis humoribus; quod mihi circa venas in hepate, ceteriſque corporis partes ſæpius contigiſſe viſum eſt, ſed circa arterias, præterquam in hoc puero, hactenus nunquam: proſequens autem curioſiùs indagationem, in dex-

tro osse temporum fissuram inveni exiguam. Dissecto autem cranio nulla in meningibus sese obtulit inflammatio, sed aquæ tantillum in cerebro substantiâ planè flaccido: nervi autem optici maximè labefactati debito crassiorem induerant spissitudinem, & ita erant fragiles, ut ad manuum contactum dissolverentur. Atque ista narrasse, ut reperi, hoc loco suffecerit, Anatomia enim oculis, quæ gesta sunt repræsentat, curiosis indagatoribus suppeditans contemplationis, & porro variarum sententiarum materiam, quarum ego liberum omnibus & apertum campum relinquo.

OBSERVATIO LXXI.

Epilepsia periodica.

FAtigavit majores nostros, quotquot labores suos hominum sanitati procurandæ consecraverunt, omnes, & etiamnum fatigat illa febrium proprietas, quod ita certis intervallis redeant, tanquam si ad condictum citatæ tempus mulctandam suam, vel absentiam, vel tarditatem vererentur. Invenit non pauca, quæ hactenus latebant conspirans in Medicinæ studium temporum nostrorum industria, qua in parte mirum in modum excellit Anglorum illud præstantissimum collegium: hujusce tamen rei rationem nemo, quod sciam, hactenus eam reddidit, cui mens humana acquiesceret. Quid ego? nescio, an minuam, an augebo difficultatem, dum statos illos

illos recurſus non tantùm in febribus, in mania, &, mirum! in dentium doloribus, ſed etiam in epilepſia obſervatos eſſe à peccante natura obſervo. In puella id factum annos nata decem & ſeptem, hæc ſubſiſtente menſtruorum fluxu ſuffocationibus uteri graviſſimis laborare primùm, deinde augeſcente quotidie malo, epilepſiâ corripi cœpit vehementiſſimâ, quæ tertiò ſingulis diebus eam aſſiliebat, horâ nimirum ſeptimâ matutinâ, & decimâ, atque iterum ſub noctem horâ octavâ, quæ tempora integro anni vertentis ſpatio, ita ſervavit accuratè, ut nullæ ad horam certam conductæ operæ temporis ſui rationem habere poſſint magis exactam. Sentiebat autem morbum per dextrum crus, uti ajebat, ſurſum aſcendere, quod mitigato deinde malo adhibitis ligaturis, primùm aliquamdiu retardari poterat, deinde etiam, ne ad caput aſcenderet, prorſus impediri: jamque ſanitati ſuæ priſtinæ reſtituta valet & vivit, nam ſic, ut antea valere, vivere non erat, ſed perpetuò cum mortis ſatellitibus conflictari.

OBSERVATIO LXXII.

Pulmones coſtis adhærentes ſine dyſpnœæ, aut phthiſeos ſymptomatibus.

RIolanus * de pulmonis ad coſtas adhæſione diſputans, *hæc colligatio*, inquit, *ſi ampla & arcta fuerit, ita ut pulmo coſtis immediatè adhæreat, moleſtam dyſpnœam etiam in ſanis hominibus adſert.* Huic ex adverſo occurrit Nicolaus Maſſa, & affirmat, *iſtam cohærentiam pulmonum cum pleura cordi utilem eſſe, ne pulmonum mole prematur, nec ullam ſpirandi difficultatem adferre.* Non intervenio huic liti, ut arbiter, aut conciliator; multo eam minus intendo facere meam: ſed hiſtoriam narro, quæ an parti alterutri faveat, Lector tu ipſe diſpice, & audi.

Quatuor annorum puella febre continuâ extincta erat. Hæc curioſitati noſtræ anatomicæ poſt mortem immolata, pulmones exhibuit coſtis & ſterno firmiſſimè adhærentes, multis locis duros, multis pure fluentes, & utraque parte, quod rariùs occurrit, pure repletos. Pericardium panni lanei craſſitie nigricantem cordis circumdabat ſubſtantiam. Interim hæc neque dyſpnœâ, neque tuſſiculâ ullâ, neque phthiſeos ſpecie laboraverat; reliquo enim corporis habitu benè conſtituta carne ſolidâ & pingui erat. Quid vis Riolane, quid tu Maſſa? ecquid hæc puella poterit tantas inter vos cernere lites?

* *Anthrop. lib. 3. cap. 11.*

lites? Ego addo plurimos me in hacce noſtra Hollandia ſecuiſſe, qui pulmones alterâ parte habebant exulceratos; raros, qui utrâque; qui tuſſi, aut dyſpnœâ laborant, non adeò multos.

OBSERVATIO LXXIII.

Pſeudopolypi.

IGnoſcent mihi, ſpero, Tulpius, Bartholinus; conſecrata jam propter medicam ſcientiam immortalitati nomina, quod eos non venerer ut numina, audeamque clariſſimâ doctus experientiâ eorum opinionibus, opinione contrariâ adverſari.

Polypum cordis, aortæ, & quarum non partium illi nobis proferunt, & porrò vidiſſe aſſerunt: viderunt ii viri, quod vidiſſe ſe dicunt, nec in eos cadit vanitatis, vel mendacii ulla ſuſpicio; ſed polypum id cordis, aut aliarum partium eſſe, quo vivi afflicti fuerint, in eo quàm erraverint, non tantùm dicere poſſum, ſed etiam oſtendere. Servo enim ejuſmodi, quos ipſi vocant, polypos, ex variis partibus collectos: nihil enim aliud ſunt, quàm ſanguis, qui poſt animalium mortem refrigeratus & grumoſus, duruſque redditus, ex corde, hepate, & ceteris partibus extrahitur, in varios ramos diviſus, prout ibi in cavitatibus variis hæſit, qui polypo narium ita ſimilis eſt, ut primâ fronte prorſus idem appareat: ſed cùm ego ſimilem polypum in animalibus formare poſſim, quoties libuerit: non ægrè ferent viri iſti, quos

ante laudavi, me hîc admonere ceteros, ne propter authoritatem eorum labantur in errorem, putentque id morbi genus adfuiſſe vivis, cujus in mortuis orta eſt aliqua ſimilitudo ex concreto in variis cavernulis ſanguine: is autem concreſcit per admixtionem peccantis cujuſdam acidi humoris; quod experientia tuis ipſa exhibebit oculis, ſi cani vivo venam ſecueris, eique ſpiritum vitrioli infuderis; coagulabitur enim continuò ſanguis, & qualem in putatitiis illis polypis animadvertimus, concipiet duritiem.

Tabula XXIII. ab Obſervationem LXXIII. pſeudopolypos varios exhibet, & quidem.

FIGURA I.

Pſeudopolypum arteriæ venoſæ.

FIGURA II.

Hepatis.

FIGURA III.

Dexteri ventriculi cordis.

Tab. XXIII

Fig. I




Fig. III





Fig. II



OBSERVATIO LXXIV.


Mulier bronchocele præfocata.

FIlia quædam earum, quæ religioſo propoſito ita matrimonium abominantur, ut nunquam ſe viro copulandas voto aſtringant, & eâ, quam inde ſibi pariunt, moleſtiâ Deo ſe obſequium præſtare arbitrantur, bronchocele laboraverat, quæ in parte colli anteriore enata, trium circiter menſium ſpatio ita excreverat, ut longè ante mentum promineret, miſeramque tam præcipiti augmento enecaverat. Nobis quomodo id factum eſſet poſt mortem inquirentibus, tumor hic, ſubſtantiâ glanduloſus, viſus eſt ita aſperam arteriam colli vertebris appreſſiſſe, ut inde præfocata fuerit: quod quia non mihi tantùm, ſed aliis etiam præſentibus rarum videbatur, hîc annotandum putavi, ne lenti nimis in ſimilibus tumoribus, ſubitò increſcentibus, naturæ arbitrium otioſi exſpectent Medici; præſtiterat hîc humores imminuiſſe, reliquias eorum aliò divertiſſe, & localibus ægræ adfuiſſe remediis, quàm permittere, ut monialis miſera ita miſerè ſtrangularetur; ſed hæc Epimethei ſunt dictata poſt feralem rei eventum, quod ſi Promethei eſſemus omnes Medici, quis periret antequam Neſtoreos attigiſſet annos?

OBSERVATIO LXXV.

Ductus pancreaticus fœtûs parenchymate denudatus.

QUid, inquis, iterum oculis noſtris rari ſubjicis, quid adfers auribus? nihil quicquam, niſi quod vides, μικρόν τι & exile. Quid ergo eſt? nihil eſt, niſi exutus omni parenchymate ſuo ductus pancreaticus fœtûs cujuſdam, qui novem jam menſibus in utero communem mortalibus auram haurire, lucem videre ſperaverat. Fruſtra: non vidit, non hauſit. Denatus enim, antequam natus, ac cadaverculum ad me delatum cùm eſſet; non tantùm curioſitati meæ in tantillo perſcrutando corpuſculo ſatisfecit, ſed etiam cupidinem ingeſſit, fruſtra quæſitum ab aliis, quod ipſi fatentur, ductum pancreaticum in fœtu reperiendi; reperi, parenchymate ſuo exui, ſervavi, & tibi, aliiſque, quos horum talium capit cu-



rioſitas, depinxi. Niſi aliquid eſſet, eum oſtendere poſſe, bis operam perdidiſſent, qui ſe fruſtra quæſiviſſe ipſi confitentur.

OBSERVATIO LXXVI.

Testiculi canis in unum coaliti.

DUo in cane, quem, quia ægrotabat, examinandum cultro anatomico ſubjeceram, notavi; vel quia extraordinaria erant, vel quod nihil repugnet, ea in hominibus poſſe occurrere. Ei ſcrotum erat quadruplo majus, quàm paris magnitudinis canibus ſolet natura concedere; atque in eo teſticulus unicus naturalem magnitudinem longiſſimè excedens; videbatur quidem duplex fuiſſe, quod gemini epididymi, & vaſa deferentia item geminata teſtabantur, ſed jam in unam maſſam concreverant. Altera admirationis meæ, & fortaſſe morbi cauſa, erat, meſenterium ita glandulis conglobatis refertum, ut non niſi unum corpus glanduloſum videretur.

Hæc vidi, ſed quia nec mutum animal de doloribus ſuis conqueri potuit, nec mihi contigit ſymptomata morbi ejus antea contemplari, nihil prudenter potui ulterius ſuper his ratiocinari, quod uſui eſſe poſſit ad homines ſanandos, quem finem ſpectat omnis hæc noſtra in aliis animalibus diſſecandis diligentia.

OBSERVATIO LXXVII.


Hepatis ſubita colliquatio.

DUm in corona Medicorum Amſtelodami ſecaretur femina, quæ in noſocomio miſerias ſuas unà cum mortalitate depoſuerat, vidimus omentum ita ſurſum aſcendiſſe, ut hepati ac folliculo fellis firmiſſimè adhæreret, & utrumque ſic obtegeret, ut folliculus nullo modo, illud vix appareret. Erat præterea hepar durum & albicans, quod ſciſſum ſanguinem nullum, ſed ingentem emittebat fœtorem; tota enim ſubſtantia ejus erat corruptiſſima: de qua hepatis corruptione, ne fortè ea imponat Medicis exiſtimantibus, dum eam in cadavere inveniunt, hominem iſtum diuturnâ illius tabe laboraviſſe; addo me tertiò in equis aliis atque aliis, qui concitato nimis curſu, ut ſæpè contingit, extincti erant, eodem quo conciderant die, hepar vidiſſe ita fœtidum, itaque putrefactum, ut nec parenchymatis partes cohærerent, & naribus eam afflarent mephitim, quæ vel conſtantiſſimum exanimaret: atqui fuerant equi iſti valetudine integrâ, fortes, bene paſti, bonam præ ſe ferentes corporis habitudinem; unde colligere licet, viſcus hoc ita ſubitæ obnoxium eſſe colliquationi, ut breviſſimo temporis ſpatio craſim omnem ſuam poſſit amittere.

OBSERVATIO LXXVIII.

Lapis in corde repertus.

PUella undecim annos nata vehementer de anxietate & angustia quadam circa regionem cordis querebatur : ubi mors eam doloribus liberaverat, curiosè in causam horum & mortis inquirens, reperi in corde lapillum ejus, quem in figura notavi formæ & magnitudinis, ponderis granorum XIV; colore autem & reliquo habitu referentem perfectissimè eum lapidem, quem inter medicamenta rariora ex India asportant, & Bezoardicum dicunt.



Notet Lector curiosus, contra ac sentiebat Galenus, jam indefessa Anatomicorum indagatione in corde non unum reperiri tumoris genus; imò glandulas, carnem, ossa, pinguedinem, & interdum ulcera; ut observat Civitatis nostræ & Medicinæ lumen Nicolaus * Tulpius, quo testimonio jam locus hujus calculi est probatus. De formæ autem similitudine cum Bezoardico lapide idem accuratissimus Observator † dicit viginti novem calculos in una Senatoris Amstel-

* *Observ. 27. lib. 1.* † *Lib. 3. observ. 4.*

Amſtelodamenſis veſica repertos formâ, glabritie ac levitate ita prope accedentes ad lapidem Bezoardicum, quem fert India orientalis, ut facilè, vel oculatiſſimo impoſuiſſent aromatario. Interim notetur & hoc, in omnibus fere corporis partibus reperiri lapides, rariſſimos tamen repertos eſſe, in corde qui repererint.

OBSERVATIO LXXIX.

Vermes varii.

IN unam maſſam hîc congeram varias, quæ occurrerunt circa vermes notatu dignæ obſervationes: inter quas mirandum ſatis, quod inter quatuor primos, quos unquam ſecui canes, tres occurrerint, qui renum alterum habebant corruptum majoremque ſolito, quem dum aperio, parenchyma nullum, ſed vermes binos, majorem alterum rubrum colore, qui ulnam noſtratem longitudine excedebat, craſſitudine æquabat pennam anſerinam; alterum minorem minuſque craſſum,nec colore tam ſaturato præditum; uterque autem à capite ad uſque caudam albam ſubſtantiam inſtar inteſtini recto filo deductam habebat, quæ manum extrahentem facilè ſequebatur. Hi vermes in ſe convoluti totam renis capacitatem impleverant, de quibus plura non dico, quòd eos plurimis non dubitem Anatomicis occurriſſe, cùm ter illos in quatuor, ut dixi, ſubjectis viderim; poſtea tamen inter tot, quos ſecui canes

nunquam amplius occurrerunt. Sed occurrit in altero videre inteſtina à duodeno uſque ad rectum ita oppleta vermibus digiti auricularis longitudine, ut excrementis nullus eſſet relictus locus, nec quicquam ineſſet præter mucoſam ſubſtantiam iis permiſtam animalculis. Imò fœtus cujuſdam humani inteſtina ſemel inveni vermibus exiguis, qui vix acûs aciem magnitudine excedebant, ita ſcatentia, ut nihil in illis præter hos conſpiceretur; manifeſta tamen dabant in tanta parvitate vitæ indicia, quales ſæpè apparent in caſeo, dum ille ex ſiccitate verminat.

Alterum etiam, quod mirabile viſum eſt, occurrit in fœtu ſex menſium & medii, qui ventriculum habebat triplo majorem, quam ſolent alii, qui tanto tempore lucem vitalem, in uteri materni vitali carcere exſpectaverunt. In hac autem tanta ventriculi capacitate membrana, & in illa vermes erant, iis, quibus pueri ſæpe laborant, ſimiles. Quis autem non ſtupeat, eam tam informi animali eſſe induſtriam, ut ſentiens ſe per ductus inteſtinorum facilè ejiciendum, ad inteſtinum cœcum, tanquam ad aſylum, refugiat, unde ſæpe in hominibus unus aliquis vermis ibi latitans reperitur.

OBSERVATIO LXXX.

Mors ab incauta, nimiaque ciborum abſtinentia.

PRoborum & peritorum Medicorum conſilia ſi obſervarent mortales diligentiùs, ego profectò affirmare auſim fore interdum, ut mitiùs inter eos ſæviret mortalitas. Verùm quod in religione fieri amat, ut eorum, qui non rectè ſana conſilia accipiunt, in ſuperſtitionem erumpat pietas; idem hîc evenire poſſe, & inde nimiâ ſcrupuloſitate perniciem peti, unde, ſi moderata adfuiſſet prudentia, certa erat ſperanda ſalus, quam ſubjungo, docebit hiſtoria.

Juxta Alcmariam degens mulier quædam nobilis, cujus tum libenter nomen proderem, ſi tam ad familiæ ſplendorem, quàm ad Medicorum aliorumque inſtructionem faceret, quod in actionibus ejus obſervandum propono. Ægrotaverat illa & gravi, & diuturnâ invaletudine, unde cùm laudabili Medicorum ſolertiâ reſpiraſſet, ac penitus convaluiſſet, hoc ab iis accepit conſilii, ut parciùs uteretur alimentis, debiliorem enim longâ ægritudine factum ventriculum, quàm ut poſſet cibos difficilioris concoctionis facilè digerere. Avidè illa quidem auribus hauſit, ſed, quod eventus docuit, mente non ſatis bene concoxit aſſumptum conſilium. Nihil enim niſi liquida ſumebat, pane, carne, omnibuſque ſolidis cibis abſtinebat. Unde factum, ut cùm poſtea

his debilitatum conaretur ſolidis confirmare ſtomachum, ille iis diſſuetus gravi afficeretur incommodo, ingeſtumque omne ſtatim regereret: quo eventu ipſa confirmatam putans, ex Medicorum, ut ajebat, conſilio, aſſumptam ſuam conſuetudinem, pergit cibo abſtinere, & ſorbere quotidie liquida, quæ dum tandem debilior quotidie ventriculus etiam reſpueret, minuit etiam flaccidi hujus alimenti quantitatem, nec enim multum ferebat debilis potentia; tandem dum ne jus quidem patienter ferret, carne maſticandâ & jure, quod inde exſugebat per anni totius ſpatium, ſuſtentavit vitam, ſi languor ille, & illam paulatim, conſumens macies, quâ tandem exſtincta eſt, non potiùs mors diuturna, quàm vita dicenda eſt.

Non tamen, quod notandum, ullo laborabat morbo, quem aliquo notares nomine, ſed langueſcebat, & conſumpto radicali humore, à vitæ flamma extinguebatur. Sed quid cauſæ, cur ſtomachus ſolidum cibum, & poſtea etiam juſcula ipſa reſpueret atque regereret? Si quid hîc Anatomia poſſet ſuggerere: dicerem pylorum, dum ſolidiorum ciborum tranſitu non aperiretur unquam, paulatim concidiſſe & concreviſſe, ut niſi anguſtiſſimo foramine liquida iſta transmitteret, ac tandem ne liquida quidem, unde & illa ipſa revomebat. Tu ſi melius quid habes adfer, vel noſtræ conjecturæ fave.

O B-

Observatio LXXXI.

Maſſa informis per dolores inſtar parturientis à vidua caſtiſſima in lucem edita?

SIqua ventre non nihil intumeſcat virguncula, continuò in partem deteriorem cadit ſuſpicio; ſiqua vidua tantillum diſtendatur, vix pudori ſuo poteſt conſulere apud homines. Habeo tamen, quo haſce defendam, hiſtoriolam; illæ ſibi, quantùm quidem hinc licet, capiant patrocinium. Vidua quædam nomen ſuum & famam, honeſtè vivendi egregiè tuita hactenus, poſthumum ediderat: poſt partum diu adversâ valetudine uſa, tandem viſa tumidiore pondus aliquod circumferre ventre; hinc converſi in eam oculi, & auditæ voces: hem, hæc illa eſt ægritudo, hic morbus viduæ: & verò tumor adeo increvit, ut etiam prudentibus & amicis ejus admirantibus, neſcio quid vel pudoris incuteret, vel doloris adferret; quæ augebantur omnia, cùm ingruentibus quaſi parturientis doloribus obſtetrix accerſitur: illa ſibi optimè conſcia, puerum prodíturum negat, eſſe tamen quod ſe non ſecus ac puer, qui in lucem moliretur iter (pepererat enim, ut dixi) premeret: tandem poſt varia uteri luctamina prodit maſſa quædam informis, ſive illa fuerit reliquum ex ſecundinis quippiam, cui aliæ immunditiæ adhæſerant, ſive nova quædam in utero congregatio. Illa certè ejecto onere optimè valuit, & quod nihil ſe-

queretur eorum, quæ partum, aut abortum ſolent comitari famam apud ſuos integram retinuit. Poſſet in moralibus ſæpe, in Politicis aliquando uſui venire hæc obſervatio, Medicis certè & obſtetricibus non erit prorſus inutilis, ideo non putavi prætereundam.

Observatio LXXXII.

Impedita bilis à ſanguine ſeparatio multorum malorum origo.

Curioſitati noſtræ, & verò ſuperſtitum utilitati ſæpius obeſt nimia quorundam circa vitâ defunctos reverentia dicam, an ſuperſtitio? Id mihi non ſine aliqua moleſtia contigit, in femina quadam, quæ per ſeptem vel octo, ut memorabat, annos vix unquam ſine medicamento fæces depoſuerat, vel ſi quando ſponte ſuâ poſt ingentes conatus deponeret, albida illa erant; quibus verò medicina tulerat auxilium iiſdem & coloris ſui tincturam, & ſuſpicionem dabat, non ſatis bilem à ſanguine ſeparari: augebant hanc puſtulæ rubræ per totum corpus, ſed maximè circa regionem hepatis, cum inſigni dolore diffuſæ: durities etiam hepatis ſe extrinſecus tactui objiciebat; tandem tabes cum febre hectica miſerrimum tot miſeriarum finem attulit.

Avebam ego more meo, tot morborum cauſam penitiùs inſpicere & ſcrutari, numquid in hoc emarcido, & tot morbis enecto corpore inveniretur,

tur, quod adhuc cum mortalitate ſua confligentibus poſſit eſſe ſubſidio : ſed nihil impetrare potui, quàm ut obiter hepar inſpicerem, quòd contenderem ibi latêre totius mali originem; & latebat. Nam ipſum erat durum, & folliculum fellis exhibebat in ſeſe collapſum, & fere totum conſumptum; haud dubiè cauſam tam difficilium initio ſeceſſuum, poſtea ex permiſtione bilis cum ſanguine dolorificarum puſtularum originem. Quid ulterius pernicioſus hic fons noxiorum rivulorum per viſcera diffuderit, ut dixi, inquirere per nimiam cognatorum miſericordiam ſum prohibitus; ajebant ſatis illam exhauſiſſe miſeriarum, veriti credo, ne innocens anatomes gladiolus aliquid adhuc inferret doloris : interim concludendum nobis reliquit, quandoquidem permixtio humorum importuna, tantùm corporibus creet incommodi, diligentem Medicis adhibendam curam, ut commoda ſemper fiat ſeparatio, maximè bilis, cui ſeparandæ, præter folliculum fellis, tot fabricata eſt natura ſagax alia inſtrumenta.

Observatio LXXXIII.

Cor non uno morbo laborans.

ETiam calculo cor laborare jam vidimus, quod & morbis afficiatur aliis, jam confirmemus. Testabitur id puellæ quadrimestris à me XVII Martii anni M. DC. LXVIII. exsectum corculum : quod totâ substantiâ suâ inveni præter morem flaccidum, in mucrone gravatum excrescentiâ quadam, quæ colore variegato carcinomatis naturam induisse videbatur : præterea circa eam partem ubi arteria magna exoritur, vesicula propendebat, duplici tunicâ instar ipsius arteriæ prædita, in qua succus continebatur amaritudinem aliquam resipiens : hanc inflatam unà cum ipso corde asservo. Figura autem tum cordis, tum vesiculæ appendentis, atque ipsius excrescentiæ hîc datur oculis conspicua, ut opus non sit eam verbis depingere : hoc potius rogare lubet, cùm * Plinius dicat, *ceteris corruptis, vitalitas in corde durat*, quomodo in corde, tam multis modis corrupto, durare potuerit quatuor mensium vitalitas, præter id tempus, quo vixit in utero.

* *Lib.* XI. *cap.* 37.

Tabula

Tabula XXVI. ad Obſervationem LXXXIII. cor puellæ quadrimeſtris præternaturale exhibet.

A. *Cor.*


B. *Dextra auricula cordis.*

C. *Vena pulmonaria.*

D. *Vena cava aſcendens.*

E. *Excreſcentia circa mucronem.*

F. *Veſicula propendens circa arteriæ magnæ exortum.*



OBSERVATIO LXXXIV.

Pili floccique devorati maximè incommodant ventriculo.

VIsæ fortaſſis ſunt multis, non tamen ſat notæ omnibus pilæ iſtæ piloſæ, quæ ſubinde repe-riuntur in vaccarum ventriculis. De quibus, quòd nos cautelæ cujuſdam admoneant, ad tuendam ſanitatem apprime neceſſariæ, & præterea ſuperſtitione quadam anili liberare poſſint homines, non ſatis in rerum natura verſatos, & omnia, quæ non intelligunt, ad genios ſive bonos, ſive malos referentes; hîc utile judicavi breviter mentionem facere.

Ut avibus roſtrum productius, ita quadrupedibus promuſcide carentibus linguam longiorem datam eſſe pro manibus, qui diceret, oratione uteretur non abhorrente ab eorum conſuetudine. Videmus enim ea circumferentia caput toto corpore, ſi quid pruriat, lambere; ſi quid ſordidum ſit, purgare linguâ: quod cum boum generi maximè ſit familiare, idemque villis ſit præditum fluxis & caducis, fit, ut vaccæ ſæpius lambendo linguâ ſuâ aſperiore corpus, attrahant, & in ventriculum demittant crinium ſuorum, vel potiùs villorum copiam; qui cùm digeſtivæ concoctricique facultati nullatenus obediant, fit ſæpe, ut ventriculi lateribus adhæreſcant, ibique naturâ quantùm poteſt ſeſe ſuperfluis & concoctionem impedientibus exonerante, magna congregetur paulatim copia, quæ in pilæ conformetur ro-

rotunditatem, & in talem duritiem, ut vix cuneis diffindas, & ubi diffideris, invenias pilos ita inter ſeſe arctè compactos, ut vix credas naturæ non intelligentis opus; quod ruſtici poſt vaccarum ſuarum interitum invenientes, uti pronum in ſuperſtitionem eſt illud hominum genus; arte magicâ ibi congeſtum clamant, atque à malo genio vexatas fuiſſe ſuas putant pecudes, ipſi pecudibus hac in parte haud multò intelligentiores: cùm enim facilè ratiocinando aſſequi poſſint emacerationis & ceterarum miſeriarum, quas in beſtiis ſuis deplorarunt, cauſas, eaſque in pilam hanc, pilæ autem generationem in lambendi, de qua egi, poſſint referre conſuetudinem; malunt illi, ad occultas quaſdam geniorum potentias recurrere, iiſque ſuperſtitionem ſuam paſcere, & novis incantationibus, ſive precibus ſatis interdum pretioſis incantamenta ea conari ſolvere; quàm Phyſicam, & veram morborum cauſam agnoſcere. Moneantur potiùs per hanc beſtiarum miſeriam mortales, ut ſibi caveant à crinibus, villis, plumis, ſimilibuſque deglutiendis, quæ concoctrici facultati non obediunt; etenim & ipſis, præſertim pueris non rarò contingit, ut iis in ventriculum attractis diu crucientur, & marcore, ſeu maraſmo quodam conſumantur; quod etiam multis incantamenti dat ſuſpicionem; præſertim ſi tum, cùm hac ſuperſtitione ſunt tacti, in lectulo inveniantur pilæ quædam ex plumis, aliaque materia compactæ, quod illis videtur certiſſimum ſuperſtitionis ſuæ fovendæ argumen-

 tum:

tum: cùm pilæ illæ, ægris corporibus diu, ac ſæpe ſuper culcitris veteribus & tritis plumis repletis verſando, (nam in novis & bonis plumis nunquam reperiuntur) paulatim ſibi ita mirabili modo adhæreſcant, & filamenta, ceteraque, quæ in culcitris inveniuntur, ita ſibi conſtringant, ut miraculum iis videatur, qui neſciunt tot alia naturæ admiranda opera. Sed redeamus ad ventriculum. Ego certè in cane quodam inveni ventriculum non uno loco obſeſſum crinibus, qui variis in locis ita adhæſerant parietibus, ut vix potuerint avelli, niſi ipſam læderes ſubſtantiam.

Vitetur ergo ſuperſtitio, & major adhibeatur cautela, præſertim in pueris, ne illis dentur cruſtula, aut alia ſaccharata comedenda, quæ in veſtibus ſtragulis, aut panno laneo fuerunt poſita; adhærent enim villi iſti ſaccharo, & cum eo pueri deglutiunt, quæ illis in ventriculo poſtea miras excitant tragœdias.

OBSERVATIO LXXXV.

Menſtrua per verticem effluentia.

QUod ſequitur inter therapeuticas fortè poterat referri obſervationes: & referam, quando, quibus quæque remediis curaverim, animus erit dicere, nunc quia viam inquirere, quâ natura ſe tam mirabiliter ſuperfluo ſanguine exoneravit, Anatomiam quodammodo ſpectare videtur, inter ea repoſui, quæ corporis conſiderationem maximè ſibi vendicant.

Anno M. DC. LXVI. menſe Majo adduxit ad me filiam ſuam quædam mater agentem ætatis annum decimum quintum. Ea nondum viâ ordinariâ menſtruis exonerata fuerat, ſed ſtatis temporibus, quæ ſingulis menſibus recurrebant, per capitis verticem, tam copioſum emittebat ſanguinem, ut quater & ſæpius innovata lintea eo madefierent. Ego præmiſſis generalibus, ſpecificis quibuſdam ita feliciter uſus ſum remediis, ut trium menſium ſpatio ægra à morbo hoc mirabili, & tot eum comitantibus aliis moleſtis nauſearum, contractionum, deliquiorumque ſymptomatibus liberata fuerit. Quanto mœrore eam mater ad me ægram adduxerat, tanto gaudio ſanatam deduxit domum, nihil poſtea ab eo morbo ſentientem incommodi.

Observatio LXXXVI.

Menstrua per manum dextram fluentia.

Rebus, quæ vulgi opinionem superare videntur, sæpe per ea conciliatur fides, quæ vel parem vel majorem concitant admirationem; nescio, an non hac ratione ejus, quod dixi, per hoc, quod dicam, an contra hujus, per id, quod præcessit, impetrandus sit lectorum assensus.

Audistis menstrua puellæ per caput effluxisse, ecce alteram, quæ per manus purgata est. Ea mihi oblata est anno M. DC. LXIV. in pago juxta Harlemum, qui *Blommendael* dicitur, & linteorum ad solem dealbandorum laude per Belgium est celebris: hîc inter eas puellas, quæ lavandis, & Soli exponendis linteis dant operam, quædam, nescio quo infortunio, dexteram læserat in musculo pollicis: primùm, ut inter mediocris fortunæ homines fieri amat, neglectis, deinde suggestis à vetulis remediis vulnus non curatur, sed quotidie abit in pejus: advocati deinde Chirurgi adhibent artis suæ tentamina, sed irrito conatu: dum inter remedia ingravescit malum, maturescit virgo, & fœcunditatis florem efferre molitur natura, & extulit, sed viâ non suâ: nam cùm subitò ex manus vulnere copiosus fluere inciperet sanguis, is in stuporem dedit Chirurgum vulneri medicando adhibitum, qui stupor auctus est, & sese dispersit in plures; quando alterum post mensem

ſem idem rediit paroxyſmus, & porro ſingulis menſibus ſtato menſtruorum tempore ſanguis è dextra fluere perſeveravit, vulnere interim ad omnia remedia pervicace: cùm illud grave videretur incommodum puellæ linteis mundandis victum quæritanti: herus me alia de cauſa pagum iſtum adeuntem in conſilium adhibet: rei novitas me facilè permovit, ut miſeræ adferre conarer auxilium. Igitur cùm intrinſecis, tum extrinſecis remediis eò rem perduco, ut ſanato propemodum vulnere, jam non pateret ſanguini eâ viâ tam facilis effluxus: cùm illa in febrem graviſſimam incidit, quæ cùm nullis remediis cederet, & vitæ minaretur periculum, ego aliò vertens conſilium, venam brachii pertundi juſſi, apertoque rurſus majore hiatu vulnere, ſanguis iterum per illud fluere incepit, & author fui puellæ, ut, ſi vita ei eſſet dulcis, potiùs cum iſto incommodo viveret, quàm per periculoſas ſanationes extingueretur, remque naturæ commendaret, quæ, ſi honeſto adjuvaretur matrimonio, fortè aliò curſum flecteret.

OBSERVATIO LXXXVII.

Menstrua ab ipso nativitatis die fluentia.

OBservationes de menstruis ante statum naturæ ordinem fluentibus, alii alias adferunt, mirandas quidem omnes, sed illa, quæ mox subjungetur, inter rarissimas reponenda est * Joannes Fernelius octavo vel nono anno. Joannes Schenckius & † Hercules à Saxonia quinto. ‡ Tulpius, quod ipsimet ferè superare fidem videtur, à quarto ad octavum ætatis annum fluxisse menstrua observat. Ego autem à primo nativitatis die ea fluxisse non oculatus quidem, sed ex fide dignissima narratione auritus testis affirmo, quod, ut contigerit, audi.

Anno M. DC. LXVIII. XIV. die Octobris elata est Amstelodami puella, quindecim dies & tres omnino menses nata. Mater (cujus simul & patris nomen, quia id prodi noluerunt, reticeo) gravidationis tempore irâ percita, ita commovebatur, ut menstrua ei fluere inciperent, & deinde mensibus singulis redirent, ita ut illa, num verè gravida esset, addubitaret: præcipuè cùm sub finem gravidationis fluxus hic quindecim continuis diebus perseveraret: eo nondum cessante, parit puellam; cui menses fluere incipiebant ipso nativitatis die, itaque fluxerunt quindecim omnino diebus: deinde suppressi, redierunt post mensem exactum denuo: & post

* *Pathol. lib. 6. cap. 16.* † *Pract. lib. 6. cap. 23.* ‡ *Observ. lib. 3. cap. 36.*

poſt alterum iterum : poſt tertium autem, puella epilepſiâ correpta, interiit.

Hæc fidem meam ſuperarent, niſi ab oculatis teſtibus, quæ hanc nutriverunt puellam, accepiſſem; parentes enim rem, quà poterant, celatam eſſe cupiebant. Tibi, Lector, cùm rerum talium vix aliter, quàm relatione aliorum ſcientia haberi poſſit, hîc non aliud poſſum, quàm mihi relatum eſſe referre : ipſe autem novi puellam nobilem, cui ab anno ætatis nono fluxerunt, & ſtata etiamnum ſervant tempora, ſed ipſa epilepſiæ vivit obnoxia.

Observatio LXXXVIII.

Menſtrua ſerotina.

ANtequam abeàmus ab hac muliebrium morborum officina, ubi tot cuduntur ſexûs debilioris miſeriæ; ut narrem oportet aliam fluxûs menſtrui exorbitantiam. Vidimus jam è capite, è manibus fluxiſſe menſtrua : in juventute ipſa ante tempus, & ab ipſa nativitate manaſſe ex fidiſſimo auditu retulimus : quid de ſenectute dicam? & hîc etiam variat, quæ omnia pro jure ſuo audet, natura. Novi feminam quandam, dum inter mortales verſabatur, jam abiit ad plures, & ideo nomen prodo; Elſia Nicolai erat nomine, Germana natione, huic menſtrua ſubſtiterant anno ætatis ſuæ quadrageſimo tertio : nullo tamen inde vexata incommodo, ſana vixit annum uſque octogeſimum : quo febre tertianâ, non

gravi tamen, cœpit laborare, & anno ſequenti, id eſt octogeſimo primo ætatis rediêre menſtrua, eaque ſtatis ſuis temporibus fluxerunt, ſine ulla ſanitatis læſione (niſi quòd antequam ſingulis menſibus redirent aliquo ſuffocationum uterinarum laboraret incommodo) uſque ad annum octogeſimum quintum, quando vivere deſiit. Poſſem ſubjungere de altera, quæ ſeptuagenariâ major, quot menſibus vernat hiſce juventutis floribus, niſi, quia etiamnum vivit, & noſtris utitur ad ſanitatem tuendam conſiliis, judicarem & illam malle ſuo parci hac in parte nomini, & Medico putarem commendatiſſimum debere eſſe ſilentium; ne, quâ erga ipſum ægroti utuntur confidentiâ, illis poſſit unquam vel minimæ cedere infamiæ.

OBSERVATIO LXXXIX.

Reſpirandi difficultas ex corpore ſub diaphragmate ſuccreſcente.

NE ſemper eclegmatis, bechicis, aliiſque ad aſthma & pectoris morbos conducentibus remediis operam ſuam ludant juniores Medici, dum iis æger abutitur reſpirationis difficultate, pectoriſque anguſtiis laborans, narrandum videtur quod anno M. DC. LXIX. menſe Junio mihi oblatum eſt rarius circa id morbi genus phænomenon. Obierat mortem poſt longas paulatimque auctas pectoris anguſtias reſpirandique moleſtias vir quidam annos quinque natus pluſquam quadraginta. Tuſſis nulla,

nulla, nullæ inflammationes adfuerant, omnis denique ſymptomatum caterva, quæ ſtipare ſolet pectorales illas ægritudines abfuerat, & tamen reſpirandi difficultas de medio ſuſtulerat ægrum. Quis non ſtimularetur cupidine fati hujus cauſam inveſtigandi artis ſuæ vel tantillum amans Medicus? Ecce autem eam tibi, Lector curioſe, cultro detectam anatomico, cui ſimul atque ventrem inferiorem diſſecuiſſet, objecit ſe corpus quoddam ea conſtans tunicæ ſpiſſitudine, quæ ſolet eſſe eorum petaſorum, quibus noſtrates à capite arcent cæli injurias. Continebat autem aquæ inſipidæ,niſi quatenus eam fœtor corruperat, uncias circiter quadraginta: innatabant aquæ filamenta quædam oblonga, quæ digitis contrectata etiam in latitudinem quandam diduci poterant. Locus, unde corpus iſtud enaſcebatur erant eæ lumborum vertebræ, quibus bini diaphragmatis proceſſus inplantantur; quod diaphragma tantò verſus pulmones compellebatur vehementiùs, quantò indies capiebat incrementa majora corpus hoc tam importuno loco ſuccreſcens: unde reſpiratio reddebatur primò difficilis;deinde coarctatis nimium pulmonibus etiam impoſſibilis,ita ut mirum non ſit hominem non aliâ vexatum ægritudine, præclusâ reſpirandi facultate, reddidiſſe animam.

O ſi liceat ſæpius! lubeatque multis examinare poſt mortem mortis inſolitæ aut inopinatæ cauſas, reperirentur multa, quæ nunc terra perpetuis ſepelit tenebris.

OBSERVATIO XC.

Nimius Tabaci usus noxius.

INvaluit, heu! nimium illud in Europa Cacoëthes, sugendi fumum herbæ Tabaci, ut vocant, per tubos ad id solummodo confectos. Quanta inde morum perversitas, ii viderint, quibus illud datum est negotii, vel Politici, vel Theologi. Quantùm sanitati suæ noceant, quibus hic mos est, ut toties Vulcano, vel Charonti potiùs sacrificent, etiam non explicabo: suffecerit oculis subjicere hominem, quem in Medicorum corona secui: is supra modum hisce fumosis deliciis addictus, vix ullum obibat negotium, quin sibi, ut patuit, fatalem succum hauriret. Ubi enim crebris quasi pulsata ictibus, natura fatiscere, atque in morbum collabi cœpit; ille nigricantem materiam per anticum, per posticum, per utrumque gutturem tamdiu ejicere, donec fuscam simul evomeret animam, quam Plutonia visentem regna comitari non lubet: suspicor enim nigros illos & vaporum Stygiorum globis fumigantes lacus potiùs ex consuetudine, quàm lucida cælorum sydera adamasse, utpote fumis semper pastam & innutritam; hospitium certè, quod illa reliquerat, visitavi & peragravi, fultus cultro anatomico. Quid viderim, quæris? domum mihi intrare visus sum verè Plutoniam: ecce tibi in foribus atrato colore tincta, & quasi venenato succo imbuta intumuerat lingua,

lingua. Quid trachea? camino ſimilis, nigrâ fuligine undique obducta. Pulmones aridi, exſucci, & penè friabiles: hepar, tanquam ſi præ ceteris traxiſſet incendium, totum erat inflammatum; à cujus flammis ne bilis quidem in cyſtide ſua immunis erat: colorem enim contraxerat ex purpureo vireſcentem. Ad inteſtina verò, ut ſunt corporis ſaburra, confluxerant totius aduſtionis carbones; plena etenim erant nigricante materiâ, quæ non mitiorem ipſo Averno ſpirabat odorem. Ecce frequentis hujus ſuctionis medicos fructus.

OBSERVATIO XCI.

Vaſa lymphatica aquoſorum tam interiorum, quàm exteriorum morborum origines.

OBſervaverint, credo, mecum plurimi, qui manum curandis vulneribus ſolent adhibere artifices; ſi quando fiſtula, aut fiſtuloſum vulnus crus occupaverit, & vinculo quopiam infra vulnus caro aſtringatur, ceſſare quidem fluxum illum humoris per vulnus perpetuò ſtillantis; ſed quicquid infra ligaturam eſt, continuò intumeſcere: at contra, ſi plaga vinculo ſit inferior, perſeverare humorum affluxum, & medicamentorum vim aſſiduâ iſtâ emanatione eludi. Quâ ſolâ experientiâ jam ſatis conſtat, humorum per vaſa lymphatica eandem eſſe, quæ ſanguinis per venas eſt, à circumferentia ad centrum circumgyrationem.

Quod ſatis deberet eſſe ad indicendum ſilentium authori cuidam, qui cùm Romano neſciat, tantò magis patulo ore jactat, occultam quandam viam ſibi ſoli notam inveniri, quâ lympha à centro ad partes extimas deferatur, & cùm jam per anatomicam αὐτοψίαν convictus eſt, vaſis lymphaticis ineſſe valvulas recurſum à centro ad extrema impedientes, recurrit ad occulta illa, neſcio, quæ vaſa, quæ ipſe, qui ea ſolus novit, valvulis carere affirmat, cui nos tum fidem adhibebimus, cùm ea nobis ſine valvulis oſtenderit; prout illi vaſa lymphatica cum valvulis oſtenſa ſunt. Sed mittamus hæc; hoc potiùs ex obſervatione hac animadvertamus, fiſtuloſitatem iſtam vulnerum externorum, & œdematoſas hydropicaſque plurimas internas conſtitutiones à vitio quodam lymphæ, lymphaticorumve vaſorum capere originem.

Observatio XCII.

Mutationes in hominibus ab influentiis externis admirabiles.

PEriodicus ille febrium ſuo tempore recurſus, nulli non eſt admirationi, quia cauſa ejus omnes latet; ſed non latet, eum principium ſumere ab intrinſeco, & certis humorum peccantium proprietatibus; an autem non admirabiliores eæ periodi, quæ ex altioribus cauſis dependent, & ab extrinſeco ortæ, etiam ſtata ſervant tempora. Narrabo quædam,

dam, quorum ad me pervenit notitia, quæ tanquam episodia quædam interponam tædiosæ huic mortuorum dissecandorum tragœdiæ.

Novi puerum, qui jam inde à nativitate sua ita constitutus est, ut, incrementa sua sumente lunari sydere, brachium ejus dextrum de crassitie sua plurimum, de viribus verò tantùm deperdat, ut jam annorum quatuordecim pondera ea nullatenus movere possit, quibus Lunâ decrescente, ut pilâ ludit; non enim aliis suæ ætatis adolescentibus cedit viribus, nec quicquam patitur in brachio dextro incommodi, nisi quando Luna crescens, viribus ejus detrahere videtur, quod sibi assumit incrementi. Addam aliud non minus admirandum.

Non tantùm nota, sed etiam cognata mihi est puella nobilis, quæ alternis mensibus sapit, quantùm aliæ sexûs & ætatis suæ solent; alternis verò ita desipit, ut nulli rei sit utilis. In quo mundi angulo, aut Lunæ concavo latent istæ toto mense influentiæ? Sed non menstrua solùm hæc est morborum periodus, semestrem tibi aliam, nisi jam harum pigeat, narrabo, de mentis sanitate transitionem ad insaniam.

Et mihi & plurimis hîc Amstelodami cognita fuit uxor prior Joachimi Bonzii; nam vidua ejus ex secundis nuptiis cordatissima femina adhuc superstes est; prior, inquam, mirabile sui præbebat spectaculum: sex enim anni circiter mensibus erat omnino prodiga in sumptibus faciendis, invitandisque

amicis;

amicis; etiam ipſa largiter potui indulgebat, nullam ferè rerum domeſticarum gerebat curam, nihil niſi de amicis inviſendis, ambulationibus, ac ſimilibus rebus cogitabat: quidquid offerebatur empturiebat, ita ut vir, qui honori familiæ ſuæ cupiebat proſpectum, rerum omnium, & maximè uxoris ſuæ curam gerere cogeretur: poſt illa, tempore aliquo, ſubitò ita mutabatur, ut nihil referret ſui: primò quaſi melancholiâ correpta deſidebat domi, vaſa domeſtica, veſtes lineas & omnem ſuppellectilem excutiebat; ſi nummus in neceſſaria erat expendendus, non niſi cum gemitu, aut litigio eum porrigebat: nuſquam domo egredi, vix quicquam bibere, nedum potui indulgere: modeſta, ferè nullius ſermonis, cùm aliàs eſſet vehementer garrula, ita ut maritus apud familiares dicere ſoleret, ſe geminas in una habere uxores; & magis ſibi intimos minus ea in parte credulos, aliquando invitaret, dum hæc accidebat mutatio.

De viro principe quodam ſolet mihi narrare unus ex meis intimis, cui eædem hæ paſſiones accidebant alternis diebus; ſed præſtat hujus parcere nomini.

Et mirari alteram Lunæ influentiam in matronam quandam Gallam, quæ tempore plenilunii facie eſt prædita rotundâ, & ſanè quàm formosâ, ſed eâ decreſcente oculi, naſus, os & tota facies in unam partem vertitur; ita ut ſilente Lunâ ſit deformis admodum, totaque facies in unam converſa partem eam ſic defiguret, ut in publicum prodire non ſuſtineat; donec

donec creſcente iterum Lunâ paulatim & ipſa redeat ad ſuum plenilunium, & formæ ſuæ venuſtatem.

OBSERVATIO XCIII.

Per Microſcopia incertum in Anatomia judicium.

UNdique auxilia vel arti illuſtrandæ, vel ægris adjuvandis idonea prudentes conquirunt Medici: hoc præcipuè ſeculum, quod an cæleſti aliquâ influentiâ motum, an mutuo exemplo incitatum, an fato aliquo, cui nos divinam ſurrogamus providentiam, directum, jam ſolito magis Anatomiæ perficiendæ incumbit, non negligit microſcopiorum auxilium, quorum etiam perfectione noſtra gaudent præ omni antiquitate tempora. Horum enim ope ſe quidam tam lynceos factos putant, ut affirmare audeant, totum hepar corpus eſſe glanduloſum. Sed ne quid nimis, aut ſaltem ne præcipitanter nimis, quæſo tantiſper reſiſte. Sciſne centrum iſtius viſionis eſſe minutiſſimum? ſcis colores ita variare, ita rebus hac videndi ratione affundi, ut quis earum nativus & verus ſit, dijudicari nequeat? ſcis denique ea, quæ ſic interpolatis viſionibus percipiuntur, fieri poſſe, ut diſcreta appareant, verè unita & continua quæ ſunt? non ut reprehendam, aut contrariam aſtruam ſententiam te revoco; ſed me hoc vel rogare, vel admonere puta: vereor enim, ne, quod glandularum ope jam multa explicentur, quæ antea ſuâ obſcuritate involuta latebant, nimis proni

 fiamus,

fiamus, ut omnia revocemus ad glandulas; Eſt & mihi microſcopium præſtantiſſimum à Benedicto illo Spinoſa Mathematico & Philoſopho nobili elaboratum, quo vaſa lymphatica, dum glandulas ſuas intrant conglobatas, videntur in varia filamenta diſpergi, & continuata dum egrediuntur rurſus in unum coaleſcere : non ſecus ac nervi circa lumbos præcipuè nodos quoſdam ingrediuntur, in iisque ſe in varia filamenta diſpertiuntur, ex quibus deinde continuatâ ſuâ ſubſtantiâ, atque in unum coaleſcentia egrediuntur; ſed de nervis, quia oculis percipitur, indubitantiùs affirmare auſim : de vaſis lymphaticis, quia adhuc ſolâ nititur microſcopii authoritate ſuſpendere malo ſententiam, quàm quicquam temere, quia tantùm videri viſum eſt, ſtatuere.

Hoc quod inſtrumenti mei admirabilis ope clarè detexi, viſum eſt admirabiliùs : inteſtina ſcilicet, hepar, ceteraque viſcerum parenchymata infinitis ſcatere minutiſſimis animalculis, quæ an perpetuo ſuo motu ea corrumpant, an conſervent, dubium eſſe poſſet ei, qui conſiderat domum dum incolitur, nitere & ſplendeſcere, eandem tamen atteri continuâ inhabitantium culturâ. Mirabilis in operibus ſuis natura, admirabiliorque naturæ Dominus, qui ut corpora produxit, ita in infinitum ſe invicem magnitudine excedentia, ut intellectus nullus aſſequi queat, an ſit, quis ſit, vel ubi ſit eorum finis magnitudinis; ita ſi minuendo deſcendas, nunquam invenies ubi ſiſtere poſſis; ut enim hîc animalia invenimus,

nimus, quæ omnem effugiunt, non tantùm oculorum aciem, ſed etiam imaginationis potentiam, quis ſcit, an quemadmodum in animalculis iſtis concipere oportet partes, oculos verbi gratiâ, hepar, & ceteras, atque in iis ſuas venas, arterias, nervos; quis, inquam, ſcit, an iis non ſint iterum ſui vermes, in quibus rurſus eadem oporteat intelligere. Admirabilis naturæ natura! ſed hanc mittamus Philoſophiæ palæſtram: aſcendant illi à minutiſſimis hiſce per infinitos gradus ad Creatoris ſui & omnium rerum magnitudinem, ut veri fiant Theologi. Medicus, credo, nunquam ad ſananda hæc minutiſſima, nec ad ingentia alia, quæ fortè in Luna, ceteriſque aſtrorum immenſis corporibus oberrant, animalium corpora advocabitur: ad eum tamen ſpectat, quia hominum ſanitati præfectus eſt, nihil non conſiderare, unde morbus aliquis, aut cauſa morbi poſſit innoteſcere.

OBSERVATIO XCIV.

Foramen Ovale cordis clauditur valvulâ ſemper pellucente.

DE mirabili anaſtomoſi vaſorum in corde, quæ foramen ovale dicitur, & admirabiliore, ut * Jul. Cæſar Arantius ait, ejuſdem paucos poſt dies ab ortu unione & coalitu, priùs aliorum adferam ſententias, quàm proferam, quid ipſe de eo ſentiam. † Spigelius cauſam alteram reddens, cur foramen ovale

* *In tractatu de humano fœtu cap.* 14. † *In tractatu de fœtu cap.* 2.

ovale valvulâ claudatur, deinde, inquit, *ut edito jam in lucem fœtu hoc foramen faciliùs obturaretur; membranâ tenui paulatim crassiore factâ, & acquirente corpus arteriæ venalis.* * Bartholinus, *post partum,* inquit, *aliquantulo tempore coalescit hoc foramen & exsiccatur, ut locus hic nunquam pertusus fuisse putetur. Idque à copiâ sanguinis in adultiore ex pulmonibus jam patulis & dilatatis continuò ad auriculam sinistram propulsi, quæ parvam sanguinis quantitatem ex anastomosi effluere non sinit, unde clausa concrescit.* † Jul. Cæsar Arantius postquam admiratus est hanc vasorum anastomosin. *Admirabilior tamen est,* inquit, *ejusdem anastomosis paucos post dies ab ortu unio & coalitus, quamvis interim in natu etiam grandioribus agglutinationis ejus vestigium aliquod semper relinquatur.* Spigelio, membranam tenuem paulatim crassiorem fieri, & acquirere corpus arteriæ venalis, non assentior. Bartholinus quid per foraminis exsiccationem intelligat, non intelligo, nisi hoc ex ‡ Riolano malè intellecto desumpserit. Ille enim de vasis duobus loquens, dicit hoc (scilicet ductum ex arteria pulmonaria in arteriam magnam) exsiccari; illud (scilicet foramen) claudi. Deinde quod Bartholinus dicit, ita foramen hoc obturari, seu ut ipse loquitur coalescere, ut locus nunquam pertusus fuisse putetur, longè abit ab eo, quod nos affirmamus, quia vidimus. Dico enim foramen illud occludi non aliâ materiâ, quàm suâ ipsius valvulâ, eamque homine jam

* *In Anatom. Reform. lib. 2. cap. 8.* † *In tract. de humano fœtu cap. 14.*
‡ *Anthrop. lib. 6. cap. 8.*

jam nato & reſpirante, partim ſuctu ſanguinis per arteriam pulmonariam majore impetu aſcendentis, partim ſanguine ad ſiniſtrum ventriculum ex vena pulmonaria magnâ copiâ deſcendente, ſtatim ita trahi ac premi, ut aperiri ampliùs non poſſit, atque ita primùm claudi, clauſamque, ut bene inquit Spigelius, obturari, non tamen induere *corpus arteriæ venalis* : non ita ut *locus nunquam pertuſus fuiſſe putetur* : non ut *agglutinationis in natu grandioribus aliquod* ſaltem *veſtigium relinquatur*; ſed ita, ut valvula ſemper maneat valvulæ corpore, valvulæ tenuitate, & valvulæ perſpicuitate. Pro qua ſtabilienda ſententia, non ad aliud, quàm ad ipſius αὐτοψίας infallibile provoco tribunal. Dices, an ergo tot præſtantiſſimi Anatomici, quos tu & omnes tecum merito ſuo laudant, cæcutierunt : nec in media luce viderunt, quod tute vidiſſe affirmas? reſpondeo, & me, quod ipſi viderunt, vidiſſe, & quamdiu aliud non videram, in eodem cum illis errore fuiſſe : jam verò, non tantùm me vidiſſe dico, at cuilibet oſtendere poſſe, ut videat hanc tralucentem valvulam, ita clarè à reliqua ſepti ſubſtantia diſtinctam, ut, opinione in contrariam conversâ ſcientiam, non relinquatur ullus dubitandi locus.

Tabula XXVII. ad Obſervationem XCIV. valvulam foraminis ovalis ſemper pellucentem clarè in corde ſtupendæ magnitudinis conſpicuam præcipuè oſtendit.

A. *Cor.*

B. *Arteria pulmonaria, cujus os patens medio Imperiali non poterat claudi.*

C. C. C. *Ora venæ cavæ, Imperiali argenteo non occludenda.*

D. *Auricula dextra magnitudine ſuâ cor hominis ordinarium adæquans, hîc aperta, ut chordæ, ſeu funes clariùs appareant.*

E. E. E. *Muſculi exiles, quos funes ſeu chordas appellamus.*

F. *Membrana foraminis ovalis ſemper pellucens.*

G. *Cavitas ventriculi dextri.*

H. *Auricula ſiniſtra in ſitu ſuo.*

I. I. *Bini ingreſſus venæ pulmonariæ in cordis ſiniſtram auriculam.*

K. *Tertii ingreſſus venæ pulmonariæ convexitas: apertura enim ejus hîc ſimul cum aliis exprimi non poterat.*

L. *Locus aperturæ tertii ingreſſus, qui depingi non poteſt.*

M. *Vena cava aſcendens.*

N. *Arteria magna.*

a. a. a. *Funes ſeu chordæ auriculæ ſiniſtræ.*


Tab. XXVII
M
B
N
L
E
K
C
F
I
D
E
I
a
a
a
C
H
F
G
C
A

OBSERVATIO XCV.

Infans Molæ inclusus.

QUod ſuperiùs ſcripſi, Obſervatione XXXVIII. jam ſcriptum & ſculptum erat de monſtris illis, quas ſanguiſugas aliqui Romano, nos noſtro ſermone *Suygers* vocamus: cùm anno M. DC. LXIX. die IX. Februarii obſtetrix quædam mihi attulit, quam hic depinxi molam, ſeu placentam: & ecce, inquit, mi Domine; inſpice, quod tibi adfero, & nega dari animalia, quæ *Suygers* vocamus: ego avidè accepi, curiosè aſpexi, ut illa dicebat, animal, ut ego exiſtimabam, informem placentam. Habebat tamen quo, quàm promptè mihi nummos, tam facilè unicuique opinionem elicere potuiſſet, quâ crederet eſſe, pro quo illa venditabat, animal. Corporis forma cyprinum piſcem referebat, niſi quòd in longiorem anguſtioremque, quàm ille, ac tandem bifurcatam, ut ille, caudam deſineret. Caput ei erat ſimillimum, & os, quod perforatum, ſtilum ad uſque mediam molis, aut molæ partem admittebat: oculos etiam aut videbam, aut putabam me videre in capite. Diffindo ergo medium molæ ventrem: & ecce tibi in eo infantem perfectè efformatum, tantillum, quantus eſſe ſolet unius menſis fœtus; affirmabat tamen adhuc præſens obſtetrix ſupra quatuor menſes gravidam fuiſſe matrem; quamvis ergo multis modis hîc peccans humani corporis con-

conformatrix facultas, perducere non potuerat corpusculum hoc ad justam fœtus quadrimestris magnitudinem, aliquid tamen in membrorum perfectione molita erat, quo proderet gravidationis diuturnitatem.

Condonet ergo mihi Lector curiosus, si adhuc in eadem, quam superiùs citato capite affirmavi, maneam sententia: nec adhuc de animalibus similibus generandis negantem deseram opinionem. Video hîc quidem figuram pisci similem; caudam bifurcatam intueor; capitis formam, & in ea os perfectum, oculorum quandam similitudinem contemplor: sed animal illud esse, fuisse, aut unquam futurum fuisse, nondum mihi persuadeo. Quid enim? apertâ molâ nihil intestinorum, nihil viscerum in ea, sed infantem tantùm reperio: non monstrosum quidem, nisi quod tanta pòst quatuor menses corporis exilitas, & placentæ, quæ sæpe variat, hæc forma admodum extraordinaria mihi monstrosa videbantur. Exspectabo ergo adhuc certiora hac super re argumenta, antequam in illam de sanguisugis descendam sententiam: quod non pertinaciæ, sed non nimis in incerta pronæ credulitatis, tibi sit, Lector, argumentum. In divinis sit chara fides: in ceteris quod opinor, opinor; quod scio, scio; fides autem in humanis, nunquam affirmantis in me superat authoritatem, quæ hactenus non nisi femellarum est variè garrientium.

Tabula XXVIII. ad Obſervationem XCV. molam cyprini piſcis formam referentem complectitur.

FIGURA I.


Pronam molæ figuram exhibet, dorſum ejus oſtentans.

A. *Os cyprini piſcis ori ſimile.*
B. *Cauda anguſtior, & longior cyprini caudâ.*
C. C. *Caudæ bifurcatio.*

FIGURA II.

Supinam molæ figuram, & in ea infantem oſtendit.

A. *Caput.*
B. *Cauda.*



C. C. *Caudæ bifurcatio.*
D. D. D. D. *Venter molæ in crucis formam discissus.*
E. E. *Infans hoc situ decumbens.*

Observatio XCVI.

Venarum portæ & cavæ hepatis parenchymate exutarum ramificationes.

Hepatis neque funus mortui, neque redivivi triumphum hîc damus, sed distinctam ramificationum in capillaribus anatomiam; prodesse enim malumus, quàm pugnare. Cùm igitur excarnandi vel artem vel modum ceteris, qui hactenus id conati sunt, multò accuratiorem habeamus, quod iis patebit, qui venas hasce, quarum apud nos copia est, oculis suis usurpaverint, non abs re esse duximus eas distinctis figuris spectandas proponere.

Omnium, quod sciam, accuratissimè eas exhibuit Franciscus Glissonius, in quem satis laudum congessisse viderer, cùm Collegii Londinensis socium nominarem, nisi hunc omnibus, qui eo titulo sanè magnifico gaudent, honorem ipse peculiari suâ & excellenti vehementer auxisset doctrinâ: fecit hoc, inquam, pro ea, quam ipse habebat, intentione, accuratè satis, & in eo, ut in plerisque aliis, omnium antecessorum superavit industriam. Nos interim non tantùm utilitati, sed etiam curiositati lectorum obsequemur, & venam portam primò separatim, deinde cavam cum venis suis capillaribus secundùm

prototypon, quod apud nos eſt, depingemus. Anaſtomoſes quibus vena venam tangit, ſcitè Gliſſonius exhibuit, & bene aliorum ſententias confutavit: in ramificatione tamen capillarium delineanda aliquantò erimus diligentiores, quæ illi placuit rudi minervâ attingere; quam ejus omiſſionem hîc accuratâ utriuſque delineatione ſupplere conabimur: ut poſteri fundamentum habeant certum, cui, quæ ſuperſunt circa hepar ſpeculationes, inædificentur.

Arteriæ hepaticæ & pori bilarii ramificationes, ſi quis eſt, qui à nobis requirat, is ſciat ea portæ & cavæ veſtigia ita preſsè ſequi, ut hac in parte nihil ab iis differant. Lienis etiam venam & arteriam ne daremus, eadem ratio ſuaſit. Nihil enim vel parum admodum capillares earum ramificationes ab hiſce diſſentiunt. Jam vaſa lymphatica, & cetera ab aliis tradita, quid opus erat repetere, cùm intentionis noſtræ ſit non cramben reponere, ſed potiùs nova, aut noviter condita tradere: illud potiùs animadverte, portam multò denſiùs venas capillares, quàm cavam ſpargere, ideoque plus in hepate loci occupare.

FIG. I





FIG. II



Tabula xxix. ad Obſervationem xcvi. venam portam & cavam puellæ viginti annorum parenchymate exutam, eâ, quâ in corpore reperta eſt, magnitudine exhibet.

F I G U R A I.

Venæ portæ ramificationes oſtendit.

A. *Locus ubi vena porta hepar ingreditur, foramen oſtendens ſuæ à reliqua parte abſciſſionis.*

B. B. B. B. B. *Quinque præcipui rami majores, in quos porta per hepar primùm dividitur.*

C. *Vena umbilicalis in ligamentum converſa.*

D. *Canalis venoſus etiam in ligamentum converſus.*

E. E. E. E. *Extremitates venarum capillarium.*

F I G U R A II.

Venæ cavæ ramificationes exhibet.

A. *Venæ cavæ deſcendentis truncus.*

B. *Portio diaphragmatis.*

C. C. C. *Tres rami primarii, qui deinde in varias diſperguntur.*

D. D. D. *Extremitates venarum capillarium.*

Observatio XCVII.

Arteriæ & venæ pulmonalis ramificationes.

RAmificationes arteriæ & venæ pulmonariæ, prout eas natura deſcribit, hîc figurâ chalcographicâ expreſſimus, quia nemo hactenus ad vivum eas depinxit. Nathanaël enim * Higmorus quas dedit, in iis potiùs bronchialis arteriæ curſum ubique tracheam comitantis, quàm hujus pulmonalis labyrintheos flexus & reflexus contemplêre: vel otium vel voluntas viro huic ceteroquin accuratiſſimo defuit, ut in hiſce ſuam impenderet diligentiam. Animadvertere interea figuram inſpicienti licebit, quanto plures ramos, quamque diverſas à trachea diviſiones hæc arteria & vena obtineat; quod meliùs inſpectione tuâ, quàm meâ explicatione doceberis.

Ne tamen ita picturæ huic ſuperſtitiosè adhæreas, ut putes ſemper ramos eadem proportione, ordine, diſtantiaque à truncis majoribus propagari; eſt hîc naturæ luſus ita varius, ut vix in duobus ſibi conſentiat; ſed quod te maximè hîc animadvertere volebam, eſt natura ramificationum minorum, quam ſi cum venis hepatis conferas, videbis toto cælo à ſe invicem diſtingui, quod, ut antea monebam, oculis tuis potiùs ex picturis, quàm verbis meis leges.

Obſer-

* *In Corporis human. diſquiſitione lib. 2. part. 2. tab. 12.*

Obſerva interim, quæſo, Lector, hanc eſſe arteriam in qua ſæpiuſcule invenitur ille *pſeudopolypus*, de quo Obſervatione LXXIII. egimus. Fit enim dum propter nimiam effuſionem acidi in dextero cordis ventriculo vitiatur efferveſcentia, ut ſanguis poſt animalis interitum in hac arteria quàm citiſſimè congeletur, & in ramos diviſus exhibeat illam polypi ſpeciem, quæ multos in errorem induxit, affirmantes id morbi genus & hîc, & in corde, & alibi reperiri.

Conſule porro ſodes experientiam, ſi verba penes te fidem non inveniant, & ſpiritum vitrioli affunde ſanguini; videbis, quàm cito, quàm firmiter coaguletur. Etiam hoc crebrâ animalium diſſectione diſces, ſanguinem hunc coagulatum, ſive *pſeudopolypum* non ſemper eandem præ ſe ferre coloris tincturam, ſed quandoque ſubalbidum eſſe, aut aliter immutatum.

Tabula xxx. ad Obſervationem xcvii. venam, & arteriam pulmonariam juvenis viginti quatuor annorum, eâ, quâ reipsâ reperta eſt, magnitudine exhibet.

Figura I.

Venam pulmonariam parenchymate ſuo exutam proponit.

A. *Truncus venæ pulmonariæ juxta auriculam ſiniſtram cordis præciſus.*

B. B. *Gemini venæ rami majores in dextram & ſiniſtram pulmonis partem ſeſe inſinuantes.*

C. C. C. *Extremitates venæ hujus capillares.*

Figura II.

Arteriam pulmonariam parenchymate ſuo nudam depingit.

A. *Truncus arteriæ pulmonariæ à corde deſciſſus.*


B. B. *Gemini arteriæ rami majores dextram & ſiniſtram pulmonis partem petentes.*

C. C. C. *Extremitates arteriæ hujus capillares.*

FIG . I



FIG . II



Observatio XCVIII.

Schema venæ & arteriarum placentæ.


ANatomicis, per quod jurent, non aliud ſuâ illâ Autopſiâ videtur numen ſanctius; hæc fidem aſtruit aſſertionibus eorum omnibus; hæc eam malè aſſertis derogat; hæc eorum eſt Logica, & totam explet ſyllogiſmorum catervam; hæc diva eſt, quæ, quod Vatibus novem ſunt Muſæ, id ſola eſt iſtis Medicinæ heroibus: ab ea namque omnis ſententiarum certitudo & evidentia, omnis inventionum novitas & admiratio, omnis invenientium gloria & fama proficiſcitur; quod quantò eſt veriùs, tantò me afficit ægriùs eorum temeritas, qui eâ non advocatâ quicquam in lucem proferunt, quod vel in errorem inducat alios, vel certè falsâ quadam imagine illudit poſteris. Quale eſt omne illud ſchema venæ & arteriarum placentæ, quod hactenus ex imaginatione magis, vel analogia quadam cum perperam item depictis hepatis venis arteriaque, quàm ex rei veritate & oculari inſpectione æri inciſum, & publicè oculis expoſitum fuit: à quo quantùm abeat placentæ ipſius conſtitutio, quia à diva noſtra edocti ſumus, hîc veram arteriarum & venæ placentæ ramificationem curioſis ſpectatorum oculis ſubjicimus.

Nolo hîc, quod exemplo aliorum, qui res anonymas accuratiùs diſtinxerunt, facere potuiſſem, ra-

mis iſtis venæ & arteriarum majoribus ſua indere nomina, ut de iis poſthac loqui poſſemus diſtinctiùs; ſi eas diligentiùs contemplantibus, id vel ad praxeos, vel ad theoriæ uſum aliquem facere videatur; habent hîc eas prout reipsâ ſunt, & ut omni parenchymate exutæ à me ſervantur, delineatas; ubi res habetur, facilè eſt addere nomen rei.

Illud obſervatione dignum eſt venas haſce nullis præditas eſſe valvulis; adeo natura nihil uſpiam molitur fruſtra; & licèt finis nullus ſit, qui eam ad operandum generatim moveat, nobis tamen ſingula conſiderantibus facilè eſt certos quaſi fines rebus accommodare, quibus infinitam illam, quæ in omnibus operatur ſapientiam, aliquâ ratione noſtris prudentiæ regulis metiamur.

Etiam varietas illa hîc prætereunda non eſt, quòd funiculus propagationis aliquando ad mediam uſque penetret placentam, antequam ſeſe in ramos diſpertiat, aliquando ſtatim à principio abeat in diverſa. Quænam hujus diverſitatis cauſa ſit, aut quid inde vel commodi oriatur, vel incommodi, cùm diva noſtra Autopſia non dictitet, ſpeculationi tuæ, Lector, aliorumque Phyſico-Medicorum relinquimus; nos in præſentiarum tantùm Spicilegia Anatomica damus.


G
G
E
E
F
F
F
D
D
F
E
F
G
G
G
A
B
C
B

Tabula XXXI. ab Obſervationem XCVIII. placentæ venam & arterias omni parenchymate denudatas ipsâ naturali ſuâ magnitudine oſtendit.

A. *Funiculus vaſorum umbilicalium.*

B. B. *Arteriæ umbilicales.*

C. *Vena umbilicalis.*

D. *Locus, ubi vena & arteriæ in diverſa abeunt, & ſe per corpus placentæ diſpergunt.*

E. E. E. E. *Ramificationes inſigniores venæ.*

F. F. F. F. F. *Ramificationes inſigniores arteriarum, quarum diſtinctio à vena initio quidem utcunque dignoſcitur, ſed poſtea ita cum ea conjunguntur & implicantur, ut eas ab invicem diſtinguere non ſit facile.*

G. G. G. G. G. *Capillares tum venæ, tum arteriarum; paſſim ita inter ſe implicatæ, ut diſtingui nequeant.*

OBSERVATIO XCIX.

Arteriæ bronchialis officium non est nutrire pulmones, sed asperam arteriam.

DEdimus hepatis, arteriæ & venæ pulmonariæ ac placentæ, seu hepatis uterini ramificationes, accuratè usque ad capillares, in quos desinunt, tubulos delineatas, quia id neglectum ab aliis hactenus fuerat.

Asperæ vero arteriæ, cum bronchiali Ruyschiana eam ubique comitante non dedimus; quia licèt non ad capillares usque minutias eam alii depinxerint, satis tamen accuratè servant eos in illa cursus & divisiones, quas natura observavit, quod minus diligenter factum erat in superioribus. Habeo tamen quod circa bronchialem observem, & breviter curiosos microcosmi scrutatores admoneam, ne illos in fraudem inducat reperta hæc recenter arteria; aut verba Professoris Clarissimi * Francisci de le Boe Sylvii, qui quanto candore agnoscit hujus inventorem Ruyschium, tanto faciliùs falleret verbo, quod illi ibidem excidit, dum ait. Bronchialis hæc arteria *sanguinem in ventriculo cordis sinistro elaboratum, atque perfectum ad pulmones deducit, eorundem nutritioni ab ipso assignata.* Verba inventoris hujus arteriæ sunt. † *Existimo itaque, ut finem imponam, hanc arteriam esse conditam, ut pulmonibus sanguinem nobiliorem,*

* *In Praxi sua lib. 1. cap. XXXV.* † *In tractatu dilucidationis valvularum in vasis lymphaticis. fol. 70.*

rem, perfectiorem, imo magis exaltatum, communicaret. Nolo hîc morosum Criticum agere, & verba utriusque cribrare, aut viros mihi amicissimos inter se committere, tanquam si quicquam hunc dixisse, quod non dixerit, ille diceret, dum sanguinem quidem magis exaltatum ad pulmones deferri, sed ejus nutritioni assignatam disertè non addit bronchialem arteriam. Hoc tantùm adverto bronchialem hanc arteriam videri soli arteriæ asperæ nutriendæ destinatam. Primò quia eam ubique comitatur, eique tantùm incumbit. Secundò quia aspera arteria intus vacua, & spiritu aërio repleta, egere videbatur nutrimento peculiari, quod ei arteria pulmonalis non sat commodè suppeditaret. Tertiò quia tam parva est hæc bronchialis arteria, ut nullâ ratione proportionata videatur pulmonibus nutriendis; in reliquis enim partibus, animadvertere est, majorem partium nutriendarum, & vasorum nutrientium proportionem. Cui & hoc pro quarta ratione posset adjungi, sanguinem hunc perfectiorem asperæ arteriæ, quàm pulmonibus magis videri necessarium; quia durioris est & perfectioris substantiæ, quàm pulmones, quibus nutriendis minus exaltatus sanguis, & in solo dextro ventriculo elaboratus videtur sufficere. Vis & hoc mantissæ loco adjiciamus, in fœtibus arteriam pulmonalem expletam esse sanguine? hîc non aliunde, quàm ex cordis dextro ventriculo eo pervenit, quid autem hîc obiret negotii, si non nutriret pulmones.

Maneat ergo nondum prorſus improbabilis illa ſententia, quod ad pulmones fœtuum nutriendos, etiam aliquid ſanguinis aſcendat per arteriam pulmonalem, quodque non omnis per foramen ovale ad ſiniſtrum cordis ventriculum deferatur: cui ſententiæ tanquam ei, quæ veritati ſit propior, tamdiu adhærendum puto, donec fortiori ariete quaſſata, ſuccumbat.

OBSERVATIO C.

Oculus cryſtallino ceteriſque humoribus ſpoliatus viſum recuperare poteſt.

QUod fama ſit

Tam ficti pravique tenax, quàm nuncia veri:

licèt non ceciniſſet Poëtarum præſtantiſſimus, & veriſſimus vatum; tamen ex unico, qui ſpargitur rumore ſuam poſſet aſſerere veritatem. Audi, quæſo, Lector, inſignem, quæ à multis ſpargitur, fabulam.

Legebat, inquiunt, Sereniſſimus Daniæ Rex, ut eſt non tantùm populorum regendorum peritiſſimus, ſed etiam multarum ſcientiarum, huic omnium reginæ adminiſtrarum curioſiſſimus libellum *Antonii Nerii de Arte Vitraria* nuper Latinè per amiciſſimum mihi Virum Andream Friſium editum: cumque in epiſtola dedicatoria reperiſſet, ibi mentionem fieri artis oculum, cui cryſtallinus ceterique humores exſciſſi eſſent, perfectè reſtituendi. Adſtantem Franciſcum

ciſcum Joſephum Burrum (quem honoris adhuc cauſa nomino, quia nihil mihi ab eo, quod ſciam, profectum eſt mali) miranti Regi alium ſcire, quàm ipſe jactabat, artem, reſpondiſſe Kerckringium illum Theodorum unum eſſe, & quidem de minimis ſuis diſcipulis: cujus dicti vanitatem in eum cadere, tum ipſius viri causâ, tum vel ideo maximè prohibeor credere; quòd mihi peccare viderer in eam, quam Majeſtati ſuæ debeo, & defero ſubmiſſimam reverentiam, ſi vel ſuſpicarer, Franciſcum Joſephum mendaciis aut velle, aut poſſe ſuſtentare eam, quam apud Regem obtinet æſtimationem: quâ ille felicitate, ut diutiùs gaudeat, exopto; ſuperetque tandem eam vel calumniam, vel invidiam (nemeſin enim cum multis dicere nec juris mei, nec voluntatis eſt) quæ illum jamdudum agitat, & omnibus penè Europæ Regnis expellit, totieſque cogit γλῶ περὶ γῆς ἐλαύνεσθαι. Interim ut vindicem non tantùm illum à vanitatis iſtius calumnia, ſed etiam reliquos, qui ſimilia ſpargi audiunt, à temeraria credulitate, & eos, qui ſpargunt à mendaci levitate; ipſe in ſcenam hìc prodeo, & quid de tota ea re ſit, publicè profiteor, appellans ipſam Viri illius in Dania rurſus Illuſtriſſimi conſcientiam.

Cùm Generoſiſſimi atque Illuſtriſſimi Viri Franciſci Joſephi Burri (his enim titulis, ringente quidem, ſed coactâ pati apud nos celebrabatur invidiâ) fama eſſet ingens, fateor me à Clariſſimo Viro Franciſco vanden Enden, Regis Chriſtianiſſimi nunc

Conſiliario & Medico, qui me liberalibus & Philoſophicis diſciplinis imbuerat (viro de cujus eximiis laudibus alibi mihi erit dicendi locus) adductum, ut familiaritatem Burri affectarem; imbuerat enim Vir ille animum meum inflammato, quo etiamnum ardet, ſciendi deſiderio: admirandâ autem in Medicis & Chymicis ſcientiâ excellere Excellentiam illam fama jactabat; itaque molles mihi ad eum aditus, etiam munuſculis quibuſdam aperui, ſolitisque humanitatis formulis acceptus, lætior aliquando, nunquam doctior ab illo receſſi: nec enim ut de ſcientia quapiam miſceremus ſermones unquam fuit occaſio. Tandem cùm vel ſcientiam, vel ſaltem medicamentum, quo diſciſſus reſtitueretur oculus, ut jam pro candore ſuo ipſe Dominus Burrus in tractatu ea ſuper re edito fatetur à Roberto Sothuel accepiſſet, atque aliquoties ejus rei experientiam feciſſet, admiſſus ſum inter familiares, ut cani diſcindi oculos, omneſque ei humores extrahi viderem, qui canis adhuc hîc Amſtelodami vivit quidem, ſed non videt illo, qui diſciſſus fuit, oculo: fateor me tum & famâ, & ipſo, ut putabam, aſpectu tantæ rei miro raptum fuiſſe deſiderio, hanc mihi artem comparandi, etiam ingenti, ſi opus eſſet, numeratâ pecuniâ; ſed cùm id gratis petere à Domino Burro nimiæ ruſticitatis videretur, & pretium ei offerre propter magnam, quam præ ſe ferebat, & ſæpe oſtendebat generoſitatem, non auderem; cœpi pertinaci ſtudio disquirere mecum, an aliquis id inveniendi

relictus

relictus esset locus; quæsivi, inveni, & sæpe perfeci; quod autem à Domino Burro id non acceperim, ipsius, uti antea dixi, appello conscientiam, & res ipsa demonstrat. Nec enim aquâ Chelidoniæ cum tantillo camphoræ, quod mysterium, ait, sibi à Roberto Sothuel revelatum: nec eadem Chelidoniæ aquâ tam mysteriosè cum fimo ejusdem præparatæ, ut tradit *lib. sui fol.* 43. res illa à me perficitur, nec ab ullo meâ quidem sententiâ perficietur. De aqua vitrioli Martis, cujus præparationem sibi adhuc soli notam reservat D. Burrus, quid sit, ego juxta cum aliis nescio: hoc scio, & hîc profiteor me nullo horum modorum oculos restituere; restituere tamen aliâ prorsus ratione, aliisque à me solo inventis viis, quarum scientiam mortalium debeo nemini: addo nec facere me distinctionem inter albos & nigros, sed cuilibet oblato animali passim discindere oculos, exprimere omnes humores, eosque spectatoribus etiam auferendos tradere, atque exiguo tempore visum in integrum restituere: idque aliquando exercitationis causâ ita effecisse, ut uni eidemque cani unum eundemque oculum tertiò discinderem, ac tertiò sanarem: quod hîc centesimæ observationis loco observet Lector meus, agatque mecum Deo Omnipotenti gratias, cujus unius ope, atque auxilio, nullo hominis alicujus adjumento, hanc qualem qualem nactus sum scientiam; nec sese quis-

quam ingerat in laudis hujus, ſi qua inde petenda ſit, ſocietatem: illi ſoli ſit honos & gloria, qui eſt benedictus in ſecula.

Petes quâ id ergo ratione fiat? hoc eſt, quod ego ab Illuſtriſſimo Domino Burro, quem eadem imbutum ſuſpicabar ſcientiâ, petere auſus non fui: ideoque me indagationi rei, uti admirandæ, ita inventu difficillimæ, totum impendi, donec inveni, ſumptibus nullis, nullis laboribus parcens; experientiis crebris incumbens, nullis ſiniſtris ſucceſſibus defatigatus. Hæc eſt via, Lector benevole, & ſciendi cupide, quâ hæc aliaque inveni; hanc ſi & tu inſiſtas, & Deus propitius conatibus tuis aſpiret, ſpes eſt, te, tanto me ingenio, ceteriſque facultatibus præſtantiorem, plura & majora inventurum.

Ego te iis, quæ centum hiſce obſervationibus prodidi, jam ut contentus ſis, & ſi nondum te harum cœpit tædium Oſteogeniam etiam noſtram inſpicias, rogo; ubi ſi non tuo digna guſtui, ſaltem ea, quæ nonnullam redoleant diligentiam noſtram, reperies. Si fortè therapeuticis & chymicis obſervationibus edendis Deus voluntatem, & otium meum facultatem ſuggeſſerit, ſpero fore, ut te iis percurrendis tantillum impendiſſe otii non pœniteat. Vale, & ſi placet etiam talentum tibi ab Altiſſimo creditum, in artem medicam augendam impende; patet ingens induſtriæ tuæ, &

omnium

omnium area : nuſquam utiliùs, quàm in tuenda mortalium ſalute, mortalium vita impenditur, nec aliunde certiora ſperanda immortalitatis ſunt præmia.

F I N I S.

THEODORI KERCKRINGII

DOCTORIS MEDICI,

OSTEOGENIA FOETVVM,

IN QVA

Quid cuique ossiculo singulis accedat mensibus, quidve decedat, & in eo per varia immutetur tempora, accuratissimè oculis subjicitur.



AMSTELODAMI,
Sumptibus ANDREÆ FRISII.
cIɔ Iɔ c LXX.

PRÆFATIO.

Osteogeniam fœtûs damus, quod hæc Anatomiæ pars minimè omnium ab aliis sit accuratè pertractata, tum quod difficile sit ei rei necessaria obtinere fœtuum corpuscula, tum vel maximè, quod ubi obtenta fuerint, eorum examen adeo sit obscurum, ut certi quid de iis pronuntiare sæpe sit periculosum, propterea quod multa quasi per nebulam vel videntur, vel videri putantur in quibus satius est ἐπέχειν *& judicium suspendere, quàm temere, quæ dubia sunt, pro certis venditare. Ego certè, cui & subjectorum copia contigit (nam plusquam septuaginta fœtus undique non exiguis sumptibus conquisitos dissecui, & labori neutiquam peperci, quo minus dies noctesque iis perscrutandis impenderem) nihil hìc affirmabo, quod non clara* αὐτοψία *mihi ostenderit, nec quicquam aliis referentibus fidei vel addam, vel etiam detraham, nisi quando perspicuè mihi constiterit eos vel aliorum relatione seductos, vel falsâ apparentiâ in sententias minus veras inductos, ea litteris mandasse, quæ contraria evertit experientia; qua in re si eâ utar libertate, quam & veritas omnibus concessit, & nemo, nisi improbus cuiquam potest negare, peto,*

& jure naturali flagito, nequis hoc in sinistram partem accipiat. Authores à quibus dissentire cogar, sine contumelia refutabo, & laudatos, si supersint, certiora docebo, vel si nos, quo omnes sequemur, præcesserint, eam ab illis inibo gratiam, ut nemo scriptis eorum in errorem inductus, post hac ea affirmet, quæ illi, si viverent, libentissimè spongiâ delerent. Ipse autem non aliam à lectoribus meis postulo gratiam, quàm ut, si quid humani erroris post tantam, cujus mihi conscius sum, cautelam operi nostro irrepserit, non illiberali scommate, sed humanâ instructione nos admoneant, duorum alterum à nobis impetraturi, ut vel sententiam nostram eadem humanitate contra objectiones tueamur, vel meliora docti corrigamus. Quamquam non existimem necessarium fore, ut scriptis multis sententiam meam defendam, cùm plurima ad manum habeam subjecta, incorruptioni jam consecrata, in quibus ea; quæ dico, possum uniuscujusque oculis subjicere; servo, inquam, sceleta à mense secundo post conceptionem gradatim per ætatula illius incrementa adscendentia, ad mensem usque nonum jam exactum, quo plerumque solent, nisi quid eos aut præcipitet, aut præter morem retardet, in lucem prodire.

Non

Non tamen exſpectet hìc quiſquam diligentem totius Oſteologiæ repetitionem, cùm nihil ſit in animo hìc proponere, niſi rariora, in quibus fœtus ab adultis corporibus, aut ego in fœtuum oſsibus ab aliis authoribus diſſentio: aut quæ ab aliis non dicta, paulo obſervavi accuratiùs. Subinde etiam iis, quæ alii ante me obſervaverunt, ſed propter rei raritatem nondum indubitatam invenerunt in animis legentium fidem, meum adjeci calculum, quando nimirum eadem occurrerunt, quæ illos in ſtuporem datos moverunt, ut ea ſcriptis proderent: atque eâ ratione ſimul ſcriptorum iſtorum ſtabilitur authoritas, ſimul poſterorum in credendo tollitur ſcrupuloſitas.

Nam quod plurium diverſis temporibus idem reperientium aſſeritur ſuffragiis, ei calculum ſuum jam adjecit veritas. Methodus à nobis obſervanda rei potiùs claritati, & lectorum curioſitati inſerviet, quàm velificabitur voluptati. Incrementa enim oſsium per ſua deducam temporum intervalla, dicamque quomodo duobus primis menſibus conſtituta ſint, quibus vix aliquid apparet, quod ad oſsificationem pertineat, diſtinctionis; deinde

quid tertio, quid quarto, & ceteris deinceps in iis mutetur, quid accedat, quid decedat. Quæ res si fortè tædii aliquid prima fronte allatura videatur, solabitur se lector spe quadam curiosæ novitatis, tum etiam eâ cogitatione, quod libri anatomici non conscribantur, ut uno filo, sicut historiæ consequenter perlegantur, sed ut identidem, ubi vel necessitas requirit, vel curiositas suadet, inspiciantur; proptereaque semper habeantur ad manum.

Duo præterea sunt, quæ in limine operis consistens, Lector amice, pace tuâ præfabor. Quorum prius est, me, dum mensium spatia in tertium, quartum, & sic deinceps distinguo, non ita memet astringere temporum momentis, ut ne diem quidem ultra procedat, vel citra subsistat mea calculatio; sed quandam assumere, cum ex matrum relatione, tum ex divinatione facta per augmenta fœtuum latitudinem: ut quando dico, mense, verbi gratiâ, quinto, non aliud indicem, quàm paulo vel citra, vel ultra mensem quintum fœtum ita se habere, quemadmodum eum describo. Alterum est, ut ea, quæ in fœtibus contingere dico, intelligenda sint de naturæ cursu ordinario, quem iis rebus metimur, quæ sæpius & in plerisque invenimus. Amat enim natura sæpe evagari, & legem hanc ser-

vare

vare omnium maximè stabilem, ut nulla sit lex, quam sibi non liceat aliquando infringere, & liberius ludere cum in rerum omnium, tum vel maximè in corporis humani conformatione. Quod si quem fortè inter legendum ea subeat cogitatio, hìc à nobis unius tantùm climatis fœtus describi; fieri autem posse, ut cum fœtibus aliis sub astris, alioque sub cælo nascituris multò aliter agat natura in ossium fabricatione. Huic non habeo, quod respondeam, nisi eadem me sæpius agitavisse animo; nec tamen fuisse à perficiendo hoc opere retardatum. Cùm enim Maurorum, exempli gratiâ, corpora solidioribus, atque etiam aliter conformatis constent ossibus, vix dubium mihi est, quin in ipsa fœtuum ossificatione magna sit à nostratibus diversitas: quam si nunc proponere non possumus, non ideo perit omnis operis nostri aut splendor aut utilitas: nostratibus enim profuisse, nostratium curiositati satisfecisse, exteros præterea docuisse, quem ordinem operi suo intenta apud nos servet hominum creatrix natura, non videtur adeo contemnendum, ut pœnitere me debeat, tantillum isti rei impendisse vel operæ, vel industriæ. Quod si exemplo nostro incitati, aut propriâ curiositate inducti, alii aliorum climatum habitatores in inquirendo quomodo apud se pro-

cedat

cedat hæc firmamentorum nostri corporis stabilitio, suam vellent fatigare industriam, fieret tandem ex omnium laboribus in unum coalitis, ut appareret, quid alibi caloris vi præcipitetur, quid retardetur frigore, quid Orientis plaga conferat, quid Occidentis variet in confirmandis ossibus: atque ita conspirantibus variis hominum ingeniis, efficeretur tandem perfectissima Osteogeniæ universalis historia, quæ à singulis non nisi regionis suæ particularis potest concinnari. Nec enim verosimile est unum eundemque hominem per diversas mundi plagas hujus rei perficiendæ causâ susceptурum iter, & si susciperet, reperturum ubique ea adjumenta, quæ quàm necessaria, tam acquisitu difficilia sunt, ut quis opus istud perficiat.

THEODORI KERCKRINGII
OSTEOGENIA FOETUUM,

CAPUT I.

De membranis & cartilagine.

ANtequam frontiſpicium hujus ædificii anatomici ex oſſe frontis conſtituam, quòd tam illud, quàm omnia capitis oſſa in duorum menſium fœtibus, imò totum corpus in embryonibus ex mera membrana videatur conſtare, id breviter hîc animadvertendum, quod * Laurentius de oſſe ſyncipitis dicit; *in puerulis*, inquit, *anterior eorum pars primùm membranea eſt, deinde cartilaginea, deinde in adultis oſſea evadit.* Non hoc in ſolo ſyncipitis oſſe, ſed in toto corpore nobis obſervatum eſt plurimas partes, quæ paſſim cartilagineæ dicuntur, primùm membranoſas eſſe, ac paulatim abire in cartilaginis conſiſtentiam, antequam perveniant ad oſſium ſoliditatem: quod cùm in aliis multis, tum vel maximè in fontanella, & in ea junctura, quæ maxillæ inferioris oſſa in mento conjungit, ita evidenter apparet, ut, qui contradixerit, adverſus Solem loqui videatur.

* *Lib. 2. de oſſibus cap. 10.*

deatur. Hinc quandoquidem conformationem ossium infantilium ab ipsis, quoad ejus fieri potest, principiis examinare, atque in lucem dare proposuerimus, partium nostrarum videretur esse tempora illa distinguere, quando singulæ membranæ in cartilaginem commutentur, item scrupulosiùs authorum verba cribrare, qui illam, de qua locuti sumus, menti juncturam passim synchondrosin vocant, dicendum enim foret, si criticum agere vellemus, eam primùm per συνδέρωσιν fieri, ac deinde in συγχόνδρωσιν commutari. Verùm enim verò cùm hæc membranæ in cartilaginem transmigratio ita tacitis à natura conficiatur passibus, ut ne lynceus quidem animadvertere possit, ubinam, nedum quando commutetur, ego malui rem eam totam præterire, & modos loquendi authorum, qui ea non distinxerunt, non tantùm boni consulere, sed etiam constanter sequi in omni discursu sequenti; contentus hîc monuisse pleraque, quæ cartilaginis à nobis donantur vocabulo, & ante fuisse, & etiam tum magnam sæpe partem esse membranas, cùm à nobis & aliis cartilagines vocantur. Atque hoc posito quasi fundamento, jam ad fabricæ humanæ frontispicium oculos convertamus, & quibus incrementis pudoris futura sedes frons hominis solidetur, examinemus.

CAPUT II.

Os frontis.

PEr tempora ſua deducturus incrementa oſſium, id generatim in omnibus obſervo, ut primos duos menſes, quibus vix quidquam uſquam apparet oſſeum, prætercam, & incipiam à menſe poſt conceptionem tertio; ſicubi tamen maturiùs in oſſeam duritiem quid coxiſſe videbitur conformativæ facultatis præcocitas, id ſuis locis annotare non prætermittemus. In oſſe ergo frontis primis duobus menſibus omnia mera ſunt vel membrana, vel cartilago, non enim, quod antea præfatus ſum, hæc diſtinguam ſubtiliùs. Videtur autem fabricatrix organici corporis primò rudi quadam delineatione cartilagineâ adumbrare ejus formam, quam in iſta teneritudine adhuc variare, & paulatim poſſit perficere, & poſtea, uti per ſuos temporum gradus eam inſequentes videbimus, inducere oſſium firmitatem; non omnia ſimul & ſemel conſolidando, ſed quaſi timidè & pedetentim oſſificando, ut tandem perducat corpus ad perfectam & aptè inter ſe cohærentem ſoliditatem. Progrediamur ergo ad menſem tertium, quando in oculorum orbita quaſi per nebulam apparent puncta quædam diverſorum oſſium in ea formandorum centra. At ſupra hanc orbitam ſe prodit ſemilunaris quædam oſſea ſubſtantia, (quæ contra morem ceterorum oſſium ſeſe à

centro ad circumferentiam dilatantium) ſe extendit per circumferentiam ad os ſyncipitis, medium relinquens cartilagineum.

Ita ut quarto menſe jam magna ex parte in os formata ſit tota hæc ſubſtantia, præterquam quòd paulò infra medium adhuc remaneat in centro cartilago notabilis, & alia item circa os ſphenoides & temporum. Accreſcit autem hæc oſſificatio, ut dictum eſt, versùs os ſyncipitis, & ſe extendit versùs fontanellam, quæ adhuc magnam cranii partem occupat. Hoc menſe quarto etiam apparere incipiunt veſtigia foveæ, per quæ tranſit tertium par nervorum ſupra oculos, quæ deinde plerumque in foramen efformatur. Etiam ſupra naſum evidenter apparet junctura quædam harmonica versùs fontanellam laxior. Puncta oſſea in orbita oculorum, quæ tertio menſe per nebulam videbantur, jam apparent clariùs.

Quinto & ſexto menſe oſſificatione accreſcente, decreſcit fontanella, & præterquam quòd orbita oculorum jam tota ſit oſſea, etiam penè evanuit illa centralis hujus oſſis cartilaginoſitas, quæ ſeptimo menſe nullum ſui ſignum relinquit in oſſis ſubſtantia.

Octavo licet per fontanellam clarè conſpicere ſinum longitudinalem ei adjunctum. Sutura autem oſſis hujus clauditur poſt nativitatem, niſi toto vitæ tempore perſeveret, quod non tam raro fieri, quàm quidam arbitrantur, vel inde patet, quòd plusquam decies mihi contigit eam videre permanentem uſque in ſenium.

Nono

Nono menſe omnia, & præcipuè os frontis & occipitis *mollibus, latis, laxis, flaccidiſque vinculis, ſuturis, atque commiſſuris colligantur*, ut ait * Volchardus Coiterus, unde partus facilitatur, quod caput in anguſtum compreſſum faciliùs prorumpit, non quòd oſſa pubis, ut quidam ſomniant, à ſe mutuò abſcedant, & à partu iterum recolligantur & uniantur. Fontanellæ hiatus magis ex oſſe frontis, quàm ſyncipitis conſtituitur, quapropter Ariſtoteles id vocat ὀςέον ὑςερογενὲς id eſt, ultimò genitum, finali ſcilicet perfectione; nam aliàs eſt inter prima cranii oſſa numerandum.

* *De oſſibus Infantis cap. 2.*

CAPUT III.

Oſſa ſyncipitis.

Oſſa ſyncipitis, quæ tribus primis menſibus nihil oſtendebant, niſi puncta quædam ſubobſcura, quod oſſis referret naturam, quarto menſe exacto jam tota ſunt oſſea, adeo properat natura munire facultatis animalis, eandemque ſapientiæ ſedem. Ad ſagittalem tamen ſuturam, oſſa ſphenoides, & temporum, ac fontanellam hiant adhuc aperturæ amplæ cartilagineæ. Induerunt autem oſſeam ſubſtantiam initio ducto à centro, non à circumferentia, quemadmodum in frontis oſſe præter aliorum morem contingere jam diximus.

Quinto & ſexto menſe hæc inſigniter augentur,

ſuturæque paulatim ita arctantur, ut ſeptimo menſe laxè per harmoniam jungantur, ſed ab oſſibus ſphenoide & temporum adhuc mediâ membranâ ſatis notabili diſcedunt hiatu, qui menſe octavo vix apparet, nono autem omnino evanuit. Fontanella tamen ex hiſce partim oſſibus, ſed magis ex frontis oſſe conſtituta, non niſi poſt novem vel decem à partu menſibus clauditur; imo non raró in pueris ad quartum & quintum ætatis annum, & in viris quibuſdam uſque ad ſenium permanet.

Non videtur hîc prætereunda ea obſtetricum experientia, quæ puerum vixiſſe pronuntiant, ſi fontanellæ pelliculam, quæ antea vitali cerebri motu & ſpiritu ſuſtentabatur, concidiſſe comperiant.

CAPUT IV.

Os occipitis.

EX iis, quibus occipitis os conſtat, oſſibus quatuor annotarunt Coiterus & * Spigelius; quæ hujus tibi verbis hîc admetiar. Primum eſt magnum illud triangulare, *ubi*, inquit, *lambdoides ſutura in adultis fines habet duorum veluti crurum, & additamenta incipiunt ſuturæ lambdoidis, rimâ quadam per transverſum ab una cruris ſuturæ hujus extremitate ad alteram, eâque admodum laxâ circumſcribitur, & à reliquis tribus oſſibus ſegregatur, quorum duo capitula occipitii continent, quæ κορῶνας Galenus appellavit, quibusque primæ cervicis vertebræ*

* *De formato fœtu cap. 19.*

vertebræ annectuntur. Tertia verò ſeu quarta pars occipitis, quæ veluti additamentum ſphenoidi oſſi annectitur. Optimè quatuor hæc expreſſit, ſed adverte quæſo mecum, quem nemo hactenus, naturæ luſum in generatione magni illius triangularis, quod primò deſcribit: hoc ipſum enim tertio à conceptione menſe ſæpe ex quatuor, ſæpius ex tribus, aliquando duobus, aut unico tantum efformatum eſt oſſibus, quæ poſt exactum illum menſem tertium omnia in unum illud à Spigelio deſcriptum coaleſcunt. Id quod illis, qui Oſteologiam adultorum tantùm deſcribunt, bonâ noſtrâ veniâ indictum eſſe poterat, nobis, qui Oſteogeniam damus prætereundum non eſt; uti neque hoc, quod poſt hanc coalitionem perfectam ſuccreſcit huic triangulare novum oſſiculum tricuſpidale, in perfectum quoque efformatum triangulum. Tangit autem unâ cuſpide os triangulare jam dictum, duas verò alias extendit verſus κορῶνας, quas plerumque octavo menſe tangit, & nono, niſi quandoque natura variare amet, cum iis, & oſſe triangulari jam ſæpius nominato in unum coaluit. Quod infra coronas eſt oſſiculum etiam tricuſpidaliter creſcit, cuſpidum duarum ſingulis ſingulas coronas, & tertia os ſphenoidis petens, ſic tamen, ut cum ſphenoide nunquam, cum aliis, quæ jam ad ternarium decreverunt numerum, tandem poſt nativitatem coaleſcat. Atque hæc de occipitis oſſe dicta ſunto, in quo natura curſum nullum obtinere videtur ordinatum, nuſquam enim magis ludit,

dit, & variat, quàm hîc. Habeo enim capita novem mensium, quæ curiosis oculis exhibenda servo, in quibus os illud magnum triangulare in quatuor inordinatas partes divisum est, atque aliàs sæpe in alias exorbitat irregularitates.

CAPUT V.

Ossa temporum.

OSsis temporum binas vulgò Anatomici assignant partes, quarum unam os petrosum, alteram squamosum appellitant. Sed nobis, qui non facta & jam coalita in adultis ossa proponimus, sed quomodo fiant, & ex quot, quibusque ossibus in fœtu coalescant, contemplamur, alia est describenda historia, idque more nostro per gradus temporum. Aliud enim est arborem jam factam in partes suas dispertiri, aliud quomodo fiat, quomodo semen rumpat, quomodo primùm in herbam surgat, deinde paulatim indurescat & lignescat, considerare; quod nos in humano corpore facimus, ubi nulla videtur nimia esse posse curiositas, quæ vel immediatè jam, vel aliorum intermediâ accuratiore speculatione posthac conferre possit ad rationalis creaturæ vel tuendam, vel recuperandam sanitatem.

Igitur cùm & hîc secundo mense nihil, quod quidem videri possit, nisi cartilago reperiatur, ad tertium nos transferimus. Jam tum enim processus, zygomaticus cum processu primi ossis maxillæ superioris

perioris conſtituit os jugale, ſive zygoma totum oſſeum, licèt in cetera cartilagine præter circulum iſtum in oſſe petroſo, cui tympani membrana annectitur nihil appareat, quod oſſis naturam induerit, idque filo adeo tenui, ut vix pili ſubtilis expleat craſſitiem. Quoniam autem meatus auditorius toto gravidationis tempore manet cartilagineus, admirari hîc licet fabricatricis naturæ providentiam, à nemine hactenus laudatam, quia obſervatam à nemine. Tympanum ejusque membranam maximè intererat hominis, utpote animalis diſciplinæ capacis, quæ auditu præcipuè acquiritur, conſervari. Quid facit artifex noſtra? tenuiſſimæ tympani membranæ aliam craſſiuſculam prætendit, quæ eam ab occurrentibus defendat incommodis, donec meatus auditorius corroboretur adverſus occurſantes injurias: crede id modo, Lector amice, & mecum tempore creſcentem fœtum comitare, mox eam, quod jam fruſtra molireris à tympani membrana ſeparare poteris; ego certè, quò fidem apud te inveniam, ita ſeparatam ſervo, ut extremitatibus ſuis tympani membranæ adhuc adhæreat. Hoc etiam menſe tertio evidenter apparet proceſſus ſtyloides, non quidem oſſeus, & inſtar ſpinæ, ut poſtea protenſus, ſed rubicundiore cartilagine in majuſculam, efformatus longitudinem, atque incumbens circulo jam dicto oſſeo, ex quo ibidem loci exoritur, unde poſtea longo poſt nativitatem tempore, in os & ipſe formatus ſeſe erigit.

Quarto mense mirum visu, quàm citò, & quantâ perfectione os squamosum magnam partem factum sit osseum. Os petrosum jam rubicundâ cartilagine signavit cavitatis suæ formam organorum auditûs capacem, nihil tamen adhuc præ se fert osseum, præterquam unam in longitudinem protensam crassiusculam & inæqualem lineam annulo seu circulo, antea nominato, subjectam, & paulo longiùs protensam. Os itaque temporum hoc mense tribus constat ossiculis: annulo scilicet, osse squamoso, & illo jam commemorato.

Quinto mense os squamosum ita adauctum est, ut os syncipitis ferè, os autem cuneiforme omnino attigerit. Ossis petrosi pars illa, quæ processum mamillarem constituit, terna de novo acquisivit ossicula: unum pyri formâ acutiore sui parte squamoso annectitur; alterum scutum ovale referens magnitudine, priori vix cedens, mediâ cartilagine ab eo separatur; uti & tertium ab utroque, quamvis hoc magnitudine neutri sit æquiparandum, vix aciculæ majoris caput adæquans; sunt autem eo situ & ordine collocata, quem tabula fœtûs v. mensium, usurpata oculis faciliùs ad mentem, quàm verba, transmittet. Hîc nobis non commemorandum tantùm, sed etiam admirandum est, quod * Veslingius vel nono mense effectum esse stupet, & tympanum, & labyrinthum, & cochleam ita mensis unius spatio accrevisse, ut non osseâ suâ substantiâ solùm, sed etiam magni-

* *In Syntagmate Anatomico cap. 8.*

magnitudine & figuræ ſymmetriâ perfectioni ſuæ proxima ſint. Viſitur tamen juxta foramen, quod nervo auditorio tranſitum præbet, foramen aliud rotundum, iſto haud paulo majus, quod in adultis plerumque ſui, ſed in arctum compreſſum, & longiùs extenſum relinquit veſtigium; cujus uſus adeo omnes latet, ut nullus, quod ſciam, vel foraminis ipſius mentionem fecerit. Addam & hoc; totum, de quo loquimur, os in fœtu, quàm in adultis eſſe inæqualius, & ſcabroſum magis.

Jam etiam contemplanda ſe præbent auditûs oſſicula, utpote jam cavitatem ſuam nacta, in qua ſubitò efformata ſunt: malleus quippe jam oſſeus longiuſculo ſuo proceſſu adhuc cartilagineo tympani membranæ adhæret. Et incus formâ ſuâ jam prædita, nihil niſi proceſſum finalem habet cartilaginoſum, ſtapedis baſis, & utrumque crus oſſea ſunt, ſed figurâ ſupernè citiùs ſemicirculum refert, quàm longum illud iſoſceles, quod poſtea efformat. Oſſiculum illud quartum, quod * Bartholinus ſibi à Franciſco Sylvio oſtenſum eſſe, & etiam in hominibus reperiri affirmat, ego in vitulis manifeſtum ſatis inveni, in hominibus ſi ſit, in fœtibus certè non reperi. Conſtat ergo os temporum hoc quinto menſe ſex diſtinctis oſſiculis; oſſe videlicet ſquamoſo, annulo, oſſe internam cavitatem efformante, & tribus notabilibus, quæ hoc menſe exorta eſſe diximus.

* *Libelli 4. Anatom. Reform. cap. 7.*

Sexto menſe pyriforme, & ovale ſcutiforme coaluerunt in unum; tertium nonnihil auctum eſt magnitudine: ſtapes formam ſuam nondum obtinuit: malleus & incus magnitudine nonnihil aucta ſunt, ſubſtantiam non mutavêre ſuam.

Septimo menſe jam tertium illud oſſiculum duobus menſe ſuperiore inter ſe coalitis acceſſit. Jamque malleus, ſtapes & incus adeo perfecta ſunt, ut ſubſtantiâ, duritie, figurâ, magnitudine vix quicquam differant ab ipſis hiſce auditûs organis in natu grandioribus; vix addebam, quia proceſſus ille longior mallei, quo tympani membranæ adhæret, etiamnum aliquid ſub finem oſtentat cartilaginoſum, quod mox etiam evaneſcit. Nihil ergo de menſe octavo, nonoque addendum, niſi quòd ne tum quidem fœtus ullum habeat proceſſum mamillarem, & quod adhuc inſigni cartilagine diſtet os petroſum ab occipitis & ſyncipitis oſſibus.

CAPUT VI.

Os ſphenoides.

MEritò dives nominum Græcia os ſphenoides communiter dictum, πολύμορφον, hoc eſt multiforme appellavit; formas autem has omnes accuratiùs deſcribere, atque oſſis hujus pervia nervis foramina ſingula depingere, iis incumbit, qui Oſteologiam profeſſi, nihil ſibi quod ad oſſa pertineat, omittendum putant. Ego, qui ſpicas ab aliis neglectas tantùm colligo, in meſſem eorum manum non immitto; ſed tantùm ea dicam, quæ in geneſeos oſſis hujus curioſiore perſcrutatione ſeſe oculis viſenda obtulerunt, ſi quis propter aliorum authoritatem iis fidem tribuere addubitet, is niſi palam omnes prudentiæ regulas neglexerit, tamdiu ſuſpendat judicium, donec ipſe diligentior, quàm ego, plures fœtus examinaverit, vel magis lynceus aliud, quàm vidi, viderit.

Os ergo ſphenoides, ut pleraque alia, ad ſecundum uſque menſem totum eſt cartilagineum, ita ut oſſis potiùs materia, quàm os dici mereatur.

Nec hîc, nec alibi abducat quemquam à vera Oſteogeniæ cognitione, quam * Laurentius depingit, infantis triginta, ut ait, dierum delineatio, in quo ille & fontanellam, & omnia penè oſſa ea magnitudine expreſſit, quæ eſt infantium ſextum à

 con-

* *In Operibus ſuis fol. 165.*

conceptione mensem agentium: quæ si ille non ex suspicione, aut relatione aliorum, sed ex autopsia descripsit, monstrosus fuerit & præcox omnino ille fœtus: sed ego crediderim potiùs virum, qui paucos fœtus examinaverit, relatione matrum vel obstetricum in fraudem inductum, quæ illi fœtum maturiorem, pro triginta dierum embryone obtulerint. Primò enim, & ferè toto mense secundo nihil est, nisi mera cartilago universus fœtus, in qua ossium formandorum quædam apparent rudia vestigia.

Tertio mense apparet exiguum quid alarum, quæ vulgò processus pterygoidei dicuntur infra os zygomaticum; cumque hoc tempore nihil aliud sit, quod ossis substantiam referat, tertio mense ossibus duobus constare dicendum est os sphenoides.

Quarto mense ossibus octo, vel potiùs quatuor ossium paribus constat os, de quo loquimur, quæ dum ego enumero, tu ea sodes in tabula fœtûs IV. mensium contemplare. Primum par sunt processus pterygoidei modò descripti, utrimque notati litterâ A A, qui hoc mense mirum in modum sunt aucti. Secundum par, processus sunt bini, litterâ B B insignes, qui quintum par maxillæ superioris tangentes, eam quasi sustentant, ibidemque interjacente vomere ab invicem separantur. Tertium par, ossa sunt bina C C. sellam equinam postea constitutura, quæ hoc mense prodeunt, caput majoris aciculæ magnitudine æquantia, & à se invicem, & ab omnibus aliis distincta. Vix tamen quarti mensis finem exspectant, quin,

quin ſimul per oſſeam materiam conjungantur, quæ eas in ſemilunulam efformat, quam mihi ſemel videre contigit duabus ante quartum menſem hebdomadis. Quartum par proceſſus illi ſunt D D. viſoriis nervis recipiendis deſtinati, qui etiamnum foraminibus, quà nervi tranſituri ſunt carentes, tantùm craſſiuſcula ſunt in longitudinem extenſa oſſicula.

Quinto menſe (mirare tantam naturæ quaſi penſum abſolvere cupientis feſtinationem) jam nunc ex uno tantùm oſſe conſtat totum illud os ſphenoides modò octifariam diviſum; nec enim ullam dubitationis umbram facit dubia quædam inter proceſſus pterygoideos, & inter oſſa ſellam equinam conſtituentia, intercurrens quaſi lineola, quò minus putemus omnia jam coaluiſſe: habet quidem, fateor, ſella equina in medio ſui non exiguam cartilaginem, ſed hæc non multiplicat oſſium numerum, cùm omnia undique ad cartilaginei hujus quaſi lacûs latera conjungantur & coaleſcant. Videſis & examina poſitas ſub finem figuras, quicunque occaſionem non habes rem ipſam in fœtibus conſpiciendi, ita rem inveni, prout hîc depingendàm curavi, ita invenies, quisquis inquires; nec quemquam conjecturæ aliorum abripiant, quas neque referre, neque refutare hîc eſt animus, quandoquidem αὐτοψία nec probetur, nec refutetur argumentis.

Sexto & reliquis ad nonum uſque menſibus augetur & corroboratur paulatim os iſtoc, cartilaginesque,

nesque, quæ inter ramos ejus hinc inde intercedebant, & aliquam os hoc dividendi aliis anſam præbuerunt, tempore minuuntur, tandemque omnino oblitterantur, ut, nemine contradicente, in os unum coëant, quod, ut dixi, jam inde à menſe ſexto fuit factum: quemadmodum autem ſufficit, ut arbor una dicatur, omnes ramos ejus in uno trunco conjungi, quamvis inde in diverſa abeant: ita ſexto menſe os ſphenoides unicum eſſe os dicendum eſt, cùm nulla ejus pars ſit ab aliis prorſus ſeparata, ſed omnes ſibi invicem quamvis in ramos mediis cartilaginibus diviſæ, in toto cohæreant.

Cautè igitur legendus * Spigelius, qui ait. *Præclara quoque eſt ea obſervatio, quam Fallopius de ſphenoide oſſe fœtûs ſcribit, quæ ab aliis Anatomicis omiſſa eſt. Conſtare namque dicit hoc os ex quatuor partibus, atque eas ſenſim brevi ita connaſci, ut poſt ſeptimum ab ortu menſem vix diſtinctæ appareant.* Imò quarto ante ortum menſe vix diſtinctæ apparent. Deinde partes quatuor à Fallopio aſſignatas enumerat, ipſique conſentit, ſicut & † Coiterus, his verbis. *Baſilare ſive cuneiforme os quatuor in puerulis conſequitur partes, quarum duas conſtituunt alares proceſſus; tertiam ſella glandulam pituitariam excipiens; quartam pars viſoriis nervis deſtinata, quæ non longè poſt nativitatem coaleſcunt.* Adſtipulatur, quantùm ad numerum partium ‡ Riolanus, ſed quandoquidem cum Eyſſonio alas & ſellam unum

os

* *De formato fœtu cap.* 19. † *De oſſibus Infant. cap.* 3. ‡ *Ench. Anatom. Path. lib.* 1. *cap.* 27.

os efficere contendat: *ut quaternarium retineat partium oſſis ſpenoidis numerum*, inquit * Eyſſonius, *quartam eam eſſe ſtatuit, quæ infra ſellam equinam protenditur ad coronas occipitis*. Quæ pars, eodem affirmante Eyſſonio, ad occipitis os ſpectat. Quæ quidem ille rectè; ſed ut videamus an rectiùs ipſe ſentiat; audiamus tanquam ex oraculo ſuam pandentem ſententiam. *Quis ergo*, inquit, *partium oſſis cuneiformis ineundus erit calculus ac computus? Sanè ſi noſtrismet arrogare fidem debeamus oculis ac manibus, nec fallaci nobis imponat natura luſu aut lapſu; exiſtimamus oſſis ſphenoidis partes ad ternarium reducendas eſſe numerum; ut videlicet ea pars, quæ baſin non tantùm oſſis cuneiformis, ſed etiam totius quaſi cranii conſtituit, ac tum proceſſibus ſuis parvis, ſurſum protuberantibus, ſellam equinam format, tum aliis latioribus, antrorſum & verſus latera aliquouſque expanſis, duas quaſi alas emittit, ſub quibus optici aliique transeunt nervi, prima ſtatuatur & primaria; ſecundam verò & tertiam exhibeant proceſſus vulgo dicti pterygoidei, qui in lateribus, tum dextro, tum ſiniſtro ſiti, per interjectam partem primam, manifeſtè in duas dividuntur partes. Et hæ duæ partes conſtituunt duas illas veſpertilionum alas, quæ non tantùm poſt palati planitiem retrorſum, ſed & ſub zygomatibus ad anteriora oſſium temporum latera ſurſum expanduntur, uſque ad ipſa frontis oſſa, poſt proceſſum eorundem zygomaticum.*

Neſcio quid viros hoſce omnes à veritate abduxerit, octo enim ſunt ſphenoidis oſſicula, quarto

* *De oſſibus infantis cap.* 5.

to menſe clarè apparentia, ut dixi, in quatuor paria diſtinctiſſimè diſtincta, quæ poſtmodum in unum diu ante nativitatem coaleſcunt: non diſtinxerunt, credo, ſatis accuratè tempora, hinc unus unius ætatis fœtum aſpiciens, alter alterius, quæ aliter quisque ſe habere vidit, protulit, & ſimul authoritate priorum nitens, ſua cum illis conciliare voluit, & ita confuſa eſt tota ſphenoidis hiſtoria, quam tibi, Lector, clarè diſtinxi; & exſculptam ex iis, quæ etiamnum ſervo oſſibus, exhibui. Tu boni laborem noſtrum, quem in hoc præcipuè oſſe collocavi, conſule, nam plurimorum fœtuum capita, quæ avebam ſervare integra, ideo perfringenda fuerunt, ut hoc in medio ſitum oſſiculum accuratè per ſingulos menſes examinarem; nec ſine frequenti autopſia à tot virorum ſententiis diſcederem.

CAPUT VII.

Os ethmoides.

OS ethmoides ſive cribriforme neque totum eſt cartilaginoſum in fœtibus, multò minus in pueris quod * Coiterus & † Riolanus putarunt; neque tribus conſtat partibus oſſeis, ut ‡ Eyſſonius affirmat; nam ſeptum narium cavitatem diſcriminans nunquam in fœtibus eſt oſſeum, uti nec criſta galli, nec tabula cribri inſtar perforata, unde nomen inditum

* *De oſſib. infantis cap. 3.* † *Ench. anatom. lib. 1. cap. 27.* ‡ *De oſſib. infantis. cap. 3.*

tum eſt toti huic oſſiculo : ſed tota oſſificatio, quæ in fœtu circa hoc os viſitur, ſpongioſis ſepto utrimque adhærentibus oſſiculis quinto menſe, & ſquamulis duabus ad oculorum orbitam conſtituendam concurrentibus ſexto circiter menſe abſolvitur, reliquæ oſſis hujus partes cùm ſint, maneantque in fœtibus cartilaginoſæ, etiam multò poſt nativitatem tempore, non eſt quod iis lectorem detineamus, ſatis enim magna eſt fœtuum in hoc oſſe ab adultis diſtantia, quod neque criſtam galli, neque ſeptum transverſum narium, neque immediatum odoratûs inſtrumentum habeant oſſea.

CAPUT VIII.

Maxilla ſuperior.

TRactaturo de maxilla ſuperiore non abſurdum fuerit undecim ejus oſſa, quinque nimirum paria, unà cum oſſe vomeriformi aſſignare, non quò lectorem Oſteologiam doceam, quam ſuppono eum accuratè didiciſſe, antequam in librum hunc de fœtuum Oſteogenia eum ſua miſerit curioſitas; ſed ut faciliùs quid in unoquoque per ſingula menſium intervalla oſſificatum ſit intelligatur, dum id breviter oſſa ſuis numeris tantùm deſignando manifeſtabo.

Primo igitur pari accenſebo illa, quæ ad triangularem formam accedentia partem orbitæ oculi inferiorem, canthum minorem, partemque oſſis jugalis & malæ conſtituunt. Secundo, quæ can-

thum majorem efficiunt, ac foramen habent in nares pervium, ipſaque tenuia & pellucida, & omnium maxillæ oſſium minima ſunt. Tertio, maxima illa omnium palati regionem, & orbitæ partem inferiorem conſtituentia, dentesque in ſe continentia. Quarto, ea, quæ naſi faciunt protuberantiam, quibus annectuntur naſi cartilagines. Quinto, ea, quæ in poſtrema parte naſi ſita ſunt, ubi narium foramina ad fauces tendunt. His quinque paribus undecimum additur aratro ſimile, ſeu vomeriforme partem unam narium inſtar ſepti diſcludens. Jam numeris ſuis par primum, ſecundum, & cetera deinceps deſignando lectorem quaſi domi ſuæ, & in re ſua verſantem de rebus notiſſimis alloquar.

Atque ut quàm remotiſſimè exordiamur. Menſe ſecundo nihil adhuc vel cartilagineam exuit, vel oſſeam induit naturam, præterquam tertium par.

Tertio menſe; id primi paris, quod ad zygoma conſtituendum cum proceſſu transverſo oſſis temporum concurrit, jam eſt oſſeum. Aliquid etiam in oculi orbita in eodem pari conſpicitur quod jam oſſificari videtur. Tertium par quantum eſt, oſſeum quidem eſt, ſed quàm longè abſit ab ea figura, quam poſtea acquirit, non longâ eaque neceſſariò obſcurâ oratione depingam, ſed exiguâ potiùs & apertâ delineatione oſtendam; hanc videſis Lector, in figura fœtûs trium menſium & agnoſces illa * Eyſſonii verba, *Maxillæ ſuperioris in infantibus oſſa nullam aut ſaltem exi-*

* *De oſſib. infantis cap. 3.*

exiguam ab adultis agnoſcunt diſcrepantiam, ad id ſaltem ætatis fœtus non eſſe extendenda. Quintum par ſubtiliſſimam oſtentat lineam jam oſſeam. Vomer oſſificatur eâ parte, quâ ſphenoidi conjungitur, & reliquis menſibus ſua paulatim capit incrementa.

Quarto menſe primum par ab oſſe frontis magno adhuc abeſt hiatu, ceterum totum eſt oſſeum. Secundum par, ſeu os lacrymale jam quaſi in dubia luce apparet. Tertium nondum ad figuram adultorum accedit. Quartum exhibet oſſa naſi in forma & proportione ſua, non eadem tamen in omnibus, quod poſtea magis apparet in adultis, in quibus tam varium conſpicitur hoc humanæ faciei quaſi frontiſpicium. Quintum par etiam ſuam nunc habet formam, & proportionis magnitudinem. Atque hæc reliquis ad nonum uſque menſibus augentur, & perficiuntur paulatim eum in modum, ut nono menſe totum hoc os ſatis perfectè referat eam, quæ in adultis viſitur figuram, ut rectè annotavit * Eyſſonius, cujus rei, quas ille adfert rationes, ideo non repetimus, quia morales potiùs quædam ſunt congruentiæ, quàm, quæ ad Medicum ſpectent, obſervationes.

* *De oſſib. infant. cap. 3.*

CAPUT IX.

Maxilla inferior.

INter oſſa capitis præcocia maxillam inferiorem numeramus; induit enim jam inde à ſecundo menſe ſubſtantiam oſſeam. Figura autem ejus tum temporis eſt mirabilis, quam cui æquiparem, non ſatis intelligo. Ex duobus enim oſſiculis formata, deſinit infra naſum in acutum apicem, qui tam longè extra os maxillæ ſuperioris prominet, ut nihil minùs promittat, quàm inde efformandam eſſe menti humani figuram. Fit tamen ut augeſcente capite, divaricantibusque ſe paulatim magis magisque oſſibus temporum, quibus oſſa, per alterum cornuum, quod κονδυλώδης dicitur, inhæret, cuſpidalis hæc protenſio minuatur, donec vix longiùs, quàm os maxillæ ſuperioris promineat. Alterum cornu (bina namque utrimque reperiuntur) κορώνη dictum, cui muſculi temporalis tendo implantatur, ad tertium uſque menſem oſſiculum eſt, ſuturâ ſuâ à reliqua maxilla ſeparatum, quod inde ad dentium uſque alveolos deſcendens, in acutam cuſpidem deſinit.

Animadvertat hîc quisquis vel mea, vel alia cujuslibet alterius ſceleta oculo curioſiore inſpecturus eſt, ſubtiliores haſce diſtinctiones clariùs ſub aſpectum cadere, dum primùm ſceleta componuntur, poſtquam autem aliquot menſibus ſervata ſunt, eas vel obſcurari, vel planè evaneſcere, quod media ſive

carti-

cartilago, ſive membrana (quis enim diſtinxerit?) aëri expoſita duritiem contrahat, & quaſi in oſſeam abeat ſubſtantiam.

Conſtat ergo maxilla inferior, ut eò redeamus, ad menſem uſque tertium quatuor oſſibus, duobus nimirum, quæ in medio menti per ſynchondroſin, ut communiter loquimur, conjunguntur: & duobus jam aſſignatis, quæ transparente quadam nectuntur materiâ, quam ego neque cartilaginem, neque nervoſam ſubſtantiam, ſed membranam eſſe cenſeo. Nequis autem exiſtimet, hanc oſſis, quam modò adduximus diviſionem, eandem illam eſſe, quam * Eyſſonius adfert, operæ pretium putavi ejus hîc adſcribere verba. *Præter hanc*, inquit, *vulgarem in omnibus puerulis diviſionem, in hoc noſtro infantis ſceleto nova, nec à quoquam deſcripta ſe obtulit nobis ſciſſura in utroque maxillæ inferioris oſſe, nempè in medio ferè uniuſcujuſque oſſis loco, quâ parte craſſiorem ſortitur protuberantiam, ac jam jamque in latiorem aſſurgere nititur planitiem, fiſſura quædam ac divulſio comparuit, quæ partim per modum harmonicæ, partim per modum ſquamoſæ ſuturæ adeò laxè cohærebat, ut levi intermundandum contactu à ſe diſcederent ipſa oſſa, in ſiniſtro maxillæ latere; unde primo intuitu exiſtimabam fractam à me tenerioris oſſis ſubſtantiam. At verò cùm aptarem iterum alterum alteri os, inſuperque in eodem oppoſiti lateris loco ſimilem obſervarem cohæſionem, ſeparatu haud difficilem, non tamen hactenus ſeparatam; indubitato credidi argumento, non fracturam violentam,*

tam,

* *De oſſib. Infant. cap. 3.*

tam, ſed ſciſſuram eſſe peculiarem : Hæc ibi vir ille in fœtu, qui unicus ei contigit examinando diligentiſſimus, ſed ex uno generalem generaliter de omnibus ſententiam pronuntiare, ſcimus quantis obnoxium ſit errandi periculis. Damus viro ſtudioſiſſimo, cujuſmodi diviſionem ille deſcribit, poſſe reperiri, & ego, ſicubi ſit uſus, oſtendere poſſum caput fœtûs novem menſium, in quo ferè ſimilis viſitur maxillæ diviſio, ſed inter tam multa unum, idque fœtûs in aliis plurimis monſtroſi, in quo præter illa oſſicula utrimque præter morem naturæ vulgarem adnata, etiam reperiebatur illa, de qua agimus, κορώνη, quam nos in omnibus contendimus naturaliter primis tribus menſibus à reliquo maxillæ oſſe ſejunctam eſſe, quia in nullo non plurimorum, quæ diſſecuimus, ita eſſe inventum fuit. Apparent præterea tam in hoc, quàm in oſſe maxillæ ſuperioris menſe ſeptimo, octavo, & nono tumores quidam, multò quàm in adultis evidentiùs, qui videntur alveoli eſſe dentium initiò extrinſecus magis protuberantes, qui poſtea oſſe ceteris in partibus majorem acquirente craſſitiem, non ita prominent, proindeque minùs apparent. De quatuor autem foraminibus, per quæ hoc os admittit, & emittit venam, arteriam, & nervum quarti paris, quid dicam? In fœtu certè etiam noni menſis ita dubiè apparent, ut qui neſciret ea in adultis eſſe, ne locum quidem, unde ſolent emergere, reperiret.

CAPUT X.

Dentes.

DE dentibus nihil dicam aliud, quàm nihil esse, quod hîc peculialiter sit commemorandum: tantâ enim in iis efformandis natura ludit varietate, ut si minutias persequamur, nullus futurus sit finis. In fœtu certè nihil occurrit, quod vel novitate suâ, vel differentiâ, ab adultis, curiositatem lectoris, ad alia festinantis, moretur. Nam omnes fœtus dentibus carere, eoque differre ab adultis non mage dicendum est, quàm eosdem neque magnitudine cum viris posse certare, & quod nihilominus dentati quidam nascantur Romana prodit historia, & quanto ante nativitatem tempore in fœtu dentes aliquando nostra invenerit experientia, in prima, quam edidi Observationum centuria observatione XXIV. dictum, hîc repetendum non existimo. Neque hoc dicendum, quod in fœtu non omnes omnium dentium efformati sunt alveoli, cùm in adultis adhuc post tot annos succrescant, quos vocant sapientiæ dentes, qui ante non erant inchoati. Proinde totam de dentibus historiam lubens prætereo, & ne diutiùs caput tibi, Lector, capitis perscrutando ossicula obtundam, ad corporis truncum descendo; ubi tamen inter ossa majora non deerunt suæ, quæ diligentiam tuam requirant, minutiæ, quæ sæpius meam in exiguis fœtuum corpusculis exercuêre patientiam.

CAPUT XI.

Os hyoides.

OS hyoides, ſeu ypſiloides, non quia Galenus illud in libello de oſſibus præteriit, ſed quia in fœtibus nequidem cartilago ejus apparet, nos hîc bonâ lectoris veniâ omittemus. Quòd enim nullam habeat cum aliis oſſibus articulationem, eò magis nobis de eo loquendum foret, qui ea maximè conquirimus, quæ minùs ſunt ordinaria, ſed nolumus vel ideo extra oleas & terminos ſemel præfixos Oſteogeniæ fœtuum evagari.

CAPUT XII.

Spina dorſi.

SPinam dorſi ſub qua ipſum etiam os ſacrum comprehendimus, quòd in fœtu non minùs diſtinctis, atque à ſe invicem ſeparatis conſtet oſſibus, quàm cetera vertebrarum compages, inſpecturi, primùm in quo tota hæc vertebrarum ſyntaxis ab adultorum oſſibus differat; deinde peculiaria cuique oſſi proferam, ac tum demum lectorem, ut mecum ſpectet, quomodo hæc humani corporis quaſi carina primùm inchoetur, quomodo augeatur, & quomodo uſque ad partûs maturitatem perficiatur, invitabo.

Hippocrates lib. de articulis, de adultorum ſpina

na ῥάχις, inquit, κτ̀ μῆκ☉ ἰθυσκόλιός ἐςι. *Spina ſecundùm longitudinem recto-obliqua eſt*, quod in fœtu locum non habet: incurvatur enim tota fœtuum ſpina per modum arcûs leniter inflexi, cujus convexitas extrorſum vergat, quam figuram ſpinæ nemo non dicet fœtui neceſſariò contingere, qui ſitum ejus in utero materno in ſe ipſum conglobatum conſiderat: at dum poſtea homo erecto corpore incedit, mutatur hæc figura, & in recticurvam Hippocraticam conformatur.

Altera reperitur ab adultorum ſpina in fœtibus differentia, quòd ſpinoſo careat proceſſu, quaſi naturæ quadam prudentiâ, quæ nihil ante tempus molitur, quo ipſa ſibi incommodet; quantùm enim tum involucris, tum utero ex conglobato fœtûs ſitu, quantùm ex affrictu & tranſitu eſſet periculum, ſi acuminibus hiſce protuberantibus dorſi armaretur ſpina. Cavit hoc natura, contenta tertio à conceptione menſe rubicundioribus in cartilagine media lineis aſſignaſſe horum proceſſuum locum, quæ quidem augentur paulatim, ſed quamdiu latet in utero puer, non protuberant.

Non adſunt etiam in fœtu tranſverſorum proceſſuum oſſeæ laterales protuberantiæ; adeſt tamen cartilago, unde eæ ſunt formandæ, quæ in collo omnis tranſeuntibus perforatur vaſis: omnium enim, quæ poſtea in oſſibus clariùs apparent, curioſo indagatori rudimenta ſpectantur in fœtu. Neſcio itaque, quid ſcrupuloſitate ſuâ ſibi velit

* Eyſſonius, qui primæ cervicis vertebræ inſculpi vult ſuum oſſeum foramen; *ne vaſa, verſus caput illac traducta, in vario capitis inſtabilis motu ac jactatione, contorquerentur, comprimerentur, vel attererentur; ſicque ſanguinis impediretur motus; quod alioquin per capitis, huic primæ colli vertebræ, tanquam atlanti, impoſiti viciniam, ſuo non careret periculo.* Non enim ulla invenitur quantum ad proceſſuum foramina in prima vertebra prærogativa præ aliis: omnes enim præditæ ſunt cartilagine perforatâ, incipiente ab una parte oſſeam olere duritiem; quæ cartilago ſimulatque à corpore ſeparata eſt, quia citò exſiccatur, claudit minutiſſima illa foramina: ideoque hæc viſa ei fuerunt non exſtitiſſe. An vir ille concepit vaſa, quorum compreſſioni, & attritione tam prolixè timet, poſtea foramina in cartilagine, aut oſſibus facere, vel oſſa illis admirabili quodam modo circumdari?

Quartùm, quo omnis fœtuum ſpina differt ab adultis, eſt oſſium triplicitas, quæ in vertebris omnibus reperitur; natura enim cavitatem, quâ medulla ſpinalis transeat fabricatura, à tribus oſſificationem aggreditur partibus, quæ poſtea in unum coaleſcentia, vertebram quidem unam conſtituunt, tribus tamen, quæ ante coalitionem indita ſunt nominibus, inſignitam.

Prima pars interior craſſa, & in rotunditatem quandam compreſſa, vertebræ corpus dicitur, aliæ duæ ad externam dorſi partem vergentes, alæ ſeu oſſicula

* *De oſſib. Infant. cap.* 3.

oſſicula lateralia dici poſſunt, & hæc quidem latiore in medio dorſi cartilagine à ſe invicem diſtant, à corpore autem etiam cartilagine mediâ, ſed anguſtiore. Hæc ſunt, inquam, terna vertebrarum oſſicula, caveat autem à Fallopio quiſquam in errorem inductus, plura quærere. Dicit enim ille in Obſervationibus anatomicis primam vertebram colli ſibi in pueris viſam eſſe quinque conſtare partibus, ſed cùm hoc tantùm ſibi ita videri, non clarè à ſe viſum eſſe affirmet, voluimus lectorem iſto liberare præjudicio, quantocunque enim examine, & quotiescunque, & illam, & alias perſcrutatus ſum vertebras, nunquam plura, quàm tria ſupra allata oſſa reperi. Excepto oſſe ſacro, in quo miram quandam fabricatrix noſtra ſervat præ ceteris methodum; ſexto enim à conceptione menſe eâ parte, quâ hoc oſſi innominato per cartilaginem annectitur, in ſuperioribus duabus vertebris producit oſſicula bina, ſingulis ſingula diſpertiens, quâ liberalitate pergens tribus inferioribus ita providet, ut nono menſe in nullo deſideretur hæc prærogativa, ut quinque conſtet oſſibus, quod & * Eyſſonium, & † Coiterum latuiſſe videtur, quorum hic de oſſe ſacro agens; *hæ vertebræ*, inquit, *ut ceteræ, etiam tres conſequuntur partes:* ille verò. *Atque ita tripartitæ ſunt omnes vertebræ, quæ inter ſecundam colli & os coccygis collocantur.* De epiſtropheo autem, qui nec ipſe hoc ternario numero contentus eſt, loquemur poſtea.

* *De oſſib. infantis cap. 4.* † *De oſſib. infantis. cap. 6.*

Quibus prælibatis, perge, quæſo, Lector, mecum, & naturam intentam vertebrarum fabricæ contemplemur, & quid quoque tempore effecerit, inſpiciamus, id quod à nemine eâ curiſiotate factum eſſe intelligo. Videsne, ut tertio menſe jam molita ſit interiùs in ſexta dorſi vertebra notabile oſſificationis punctum? atque inde verſus caput paulatim minuendo aſcendat uſque ad quintam colli vertebram, ibique menſis hujus penſum abſolvat, ita ut quatuor ſuperiores nihil adhuc oſſeum in corpore ſuo oſtendant. Deſcende jam mecum, ſodes, à ſexta dorſi vertebra inferiùs, & eadem proportione videbis decreſcentia ſingularum vertebrarum puncta ad tertiam oſſis ſacri vertebram. Atque hîc ſiſtitur opus tertii menſis in corpore. Vertamus jam oculos ad externas duas vertebrarum partes laterales; hîc alio prorſus opus ſuum perficit ordine: nam ordiendo à ſumma colli vertebra in ea maxima oſtentat oſſificationis inſignia, atque ita deſcendendo perpetuò minuit, & antequam ad os ſacrum perveniatur, in puncto terminatur, vix oculis perceptibili, oſſe ſacro adhuc ab hac parte omnino cartilaginoſo. Tertio igitur menſe, ut diſtinctè rem percipiamus, quatuor ſuperiores colli vertebræ duobus tantùm conſtant oſſiculis, quòd eo oſſe, quem corpus vocavimus, adhuc careant: oſſis autem ſacri tres ſuperiores vertebræ uno adhuc conſtant oſſe, corpore ſcilicet, quia laterales partes nondum quicquam oſſeæ induerunt ſubſtantiæ.

Quarto

Quarto menſe, jam oſſis ſacri partes laterales uſque ad coccygem oſſeam præ ſe ferunt ſubſtantiam, ſed interiùs oſſea puncta, quæ conficiunt, magnitudine quidem aucta ſunt, ſed nihil acceſſit numero. Superiùs autem tertia & quarta colli vertebræ jam corpore gaudent, atlante & epiſtropheo adhuc carentibus corpore.

Quinto & ſexto menſe os ſacrum jam omnia habet oſſificationis puncta; epiſtropheus item jam corpus habet oſſeum, ſed proceſſus ejus dentiformis adhuc eſt cartilago. Atlas adhuc anterius corpore caret.

Septimo menſe tandem epiſtrophei dens oſſificatur, & Atlas punctum corporis ſui oſtendit oſſeum, ita ut hic jam tribus conſtet, ille dici poſſet quatuor conſtare oſſibus.

Octavo & nono menſe hæc omnia creſcunt & augeſcunt, os tamen coccygis etiamnum totum eſt, manetque cartilaginoſum, niſi quòd nono menſe internâ eâ parte, quæ corpus dicitur, exoriatur unum, vel quandoque duo puncta oſſea, caput majoris aciculæ non excedentia.

Atque hæc eſt naturæ vertebras, & ex iis totam ſpinæ compagem conficientis hiſtoria; ex qua jam de aliorum circa hanc rem ſcriptis & dubitationibus facilè formabit judicium, qui hæc legerit, & vel ſuo ſibi labore ſpinæ ſceleta confecerit, aut ea, quæ à me confecta ſunt inſpexerit. Non itaque eſt operæ pretium te aliorum ſententiis adferendis, aut refutandis

tandis diutiùs detinere, Lector benevole, ſatis ſuperque jam hoc per ſingula diſcurſu defatigatum; nec verò falſitatis redargutione indiget veritas, à cujus lateribus ſpontè cadunt omnes dubitationum & opinionem catervæ.

CAPUT XIII.

Os innominatum.

NOn phantaſtica eſt oſſis innominati, ut quibusdam videtur, qui adultorum tantùm oſſa conſideraverunt, in tres partes nominibus ſuis diſtinctas diviſio. Fuerunt enim in fœtu re verâ tria diviſa, & cartilaginibus mediantibus ſibi invicem annexa oſſa: quorum primum, quod in adultis ſuperiorem poſterioremque oſſis innominati partem conſtituit, osque tunc adhuc ilium nominatur, quia ante, cùm ſeparatum erat, eo nomine donatum fuit, oſſis ſacri vertebris per medias cartilagines annexum, ſurſumque excurrens, flexo in ſemilunæ formam, cartilaginoſo circumdatur limbo; antrorſum autem porrectum magnam acetabuli partem conſtituit: ac deinde deſcendens maximi foraminis margini attenditur. Alterum verò os pubis, dictum à parte oſſis ilii anteriore, atque cartilagine acetabuli ſuperiore ad cartilaginoſam commiſſuram breviore tenuioreque corpore protenditur. Os verò coxendicis, vel iſchii non exiguam acetabuli efformans particulam, craſſiore pauloque latiore corpore obliquè deſcendit,

dit, & unà cum pubis osse jam dicto, & anteriore cartilagine foramen osseæ pelvis circumdat. Hæc ita descripta, & verè distincta ossa in fœtibus jam quomodo enascantur, & augescant, habe.

Secundo mense, quod postea unum fiet os, jam non nisi unica & indistincta est cartilago, in osse tamen ilii speciatim dicto, circa acetabulum apparet punctum jam ossificatum, quantum caput est vulgaris & mediocris magnitudinis aciculæ.

Tertio mense punctum istud osseum os factum est, & formam, quam supra ei dedimus, semilunarem suâ circumdatam cartilagine exhibet satis perfectè, sed socia duo ossa adhuc sub sua delitescunt cartilagine, nihil præ se ferente osseum.

Horum autem os coxendicis quarto mense profert caput album circa acetabulum, sed caput non majus, quàm aciculis vulgaribus apponitur. Quod mense quinto os pubis æmulatur etiam circa acetabulum, aucto jam insigniter osse coxendicis, & osse ilii jam perfectè formam suam notabili magnitudine ostentante. Itaque tria hæc ossa concurrunt simul ad constituendum acetabulum, quæ usque ad nonum mensem suis augescunt incrementis, ita tamen, ut nono adhuc mense laxis inter se cartilaginibus mediis connectantur. Faciunt enim hæc cartilaginosa vincula vehementer tam ad facilitandum globiformem infantis in utero situm, quàm pueri ex utero egressum, dum contrahuntur ossis ilii protuberantiæ, quò inoffensè magis infans prolabatur ex utero.

CAPUT XIV.

Costæ.

IN costarum infantilium historia vix quicquam occurrit, quod ab adultorum costis magnopere distet, salvâ interim proportione, inquit * Eyssonius. Nos autem non tantùm, quid ab adultis fœtuum costæ differant, sed etiam quænam fœtibus ipsis inter se diverso tempore consideratis intercedat inæqualitas, accurato libramus examine : ut lector quasi intersit admirabili isti corporis humani fabricæ, & ossa quid de mense in mensem varient percipere, atque inter se comparare possit.

Si ergo fœtum mense secundo cultro anatomico subjicias, invenies costarum summam & imam adhuc teneras esse cartilagines, cùm ceteræ omnes induerint jam tum osseam naturam, colorem, & firmitatem adeo perfectè, ut alveolus ille per quem nervus, arteria, & vena intercostales transeunt, jam clarè se visendum præbeat. Facit autem præmatura hæc durities, cum illa, quam in clavicula etiam præcocem adeo annotabimus, ut cor & pulmones sub ea, quam simul efficiunt cavitate, & quasi fornice, tuta ab omni compressione conquiescant, crescant, & actiones, quibus tum opus est, vitales exerceant. In costarum interim extremitatibus nulla prorsus adhuc comparet articulatio, sed rudi isti carti-

* *De ossibus infantis cap. 4.*

cartilagini, unde poſtea ſpina cum toto ſuo choragio eſt efformanda, quaſi negligenter affiguntur.

Tertio menſe veluti ſegnitiei ſuæ pœnitens natura tantâ feſtinatione ſummam coſtam, quæ ſecundo menſe adhuc mera erat cartilago, in oſſeam induit ſubſtantiam, ut jam neque latitudine, neque ſoliditate ulli cedat earum, quæ menſe jam toto ante eam fuerunt oſſeæ; ima jam etiam exiguum oſſificationis ſuæ dat ſignum, quamquam aliquando (quod non ordinarium eſt) ad quintum menſem maneat cartilaginoſa.

A quarto ad nonum menſem non aliâ re variant, quàm magnitudine, & ſoliditate, quâ paulatim augentur & firmantur, capitulis, quibus uniendæ erant cum vertebris, uſque ad ipſam nativitatem in ſua ſubſtantia cartilaginoſa ſine ullis oſſificationis indiciis deliteſcentibus. De numero coſtarum, quem raró duodecimum excedere, rariùs infra ſubſiſtere, Anatomici affirmant, hoc eorum ſuffragatur ſententiæ, quod inter tot fœtus tantùm unum invenerim, qui non niſi undecim ab utroque latere exhibebat coſtas, quod, quia tam raró occurrit, ſervandum mihi illud ſceleton putavi, quò poſſim hanc etiam curioſis oculis oſtendere varietatem.

Figura coſtarum ita in arcum flexa, ut fornicem, de qua ſupra, pectoralem efficiat, ſatis nota & deſcripta eſt aliis, ſed altera coſtarum incurvatio, quâ ſex ſuperiores extremitatibus ſuis ſurſum, medio ſui deorſum vergunt, ſex aliæ contra convexitate me-

diâ ſurſum, extremitatibus deorſum tendunt, neſcio quomodo aliorum fugerit diligentiam; nobis certè accurata fœtuum ſuggeſſit indagatio: nam in his, quàm in adultis hæc arcuoſitatis diverſitas multò eſt notabilior; imò paulatim cum ætate ita minuitur, ut in quibuſdam vix appareat. Si qui hanc incurvationem in ſceletis ſuis non animadvertant, ſciant eam ſe coſtas coquendo, & à ſpina dorſi ſolvendo immutaſſe. Quisquis enim eas in naturali ſuo ſitu reliquerit, eam poterit liquidò animadvertere.

CAPUT XV.

Sternum.

CUm in ſterni oſſificatione nuſquam natura ipſa ſibi conſtet, non mirum eſt autores ita variare, ut nemo non alteri contradicat. Cùm enim cuique eorum unus tantùm alterve fœtus, quòd ex ſcriptis eorum patet, obtigerit, & aliter hic, aliter ille ſubjectum ſuum conſtitutum repererit, quisque ordinariè putavit fieri, quod in ſuo factum eſſe comperiebat: ego prius quod in meis omnibus conſtanter reperi dicam, tum recenſebo, quàm vario natura ludo aliis illuſerit.

Nullus mihi unquam oblatus eſt fœtus, qui menſe quarto oſtenderit ullum in ſterno oſſiculum, quod, quamvis tempus non ita definiat, tamen indicaſſe

dicaſſe videtur Euſtachius, dum ait, *Puerorum ſternum in prima generatione totum cartilagineum eſt, & prorſus continuum, nullaque lineâ diſtinctum.*

Reliquo ad nativitatem tempore ordinariè dicuntur oſſicula eſſe ſeptem: Fallopius & Bartholinus octo ſtatuunt: ego in quinque pueris novem menſium, quorum ſceleta penes me ſunt, non inveni, niſi quatuor, ad ſummum ſex, nunquam plura, ſed pauciora ſæpe. Aliquando menſe quinto duo inveni. Sexto jam quatuor, jam quinque; aliquando unum (quod fortè etiam * Bartholino occurrit, qui de ſterno ita pronuntiat *in infantibus totum cartilagineum eſt, præter os illius primum*) fuit etiam, quòd nullum repererim. Octavo menſe major adhuc eſt varietas, à ternario enim numero uſque ad ſextum, etiam medios fuit videre in variis fœtibus, ut nihil liceat certi nobis ſtatuere, cùm natura nullam hîc ſervet regulam. In magnitudine autem, ordine, & ſitu tam diverſimode evagatur rerum illa creatrix, ut hîc oſtentare videatur libertatis ſuæ nullis aſtrictæ legibus privilegium. Nec enim ſemper à ſummo capit initium, ſed interdum in medio primum emicat oſſiculum: nec quæ ſuperiora majora ſunt ſemper, vidi quippe, ubi magnitudine inferiora excederent. In ſitu verò ne quidem hanc accipit legem, ut ſub altero ponatur alterum, & rectam perpendicularemque horizonti conſtituant inter ſe lineam, ſed ſæpiuſcule quædam evagantur

* *In Anat. reform. libello 4. cap. 18.*

ad latera tam extraordinariè, ut lineam quandam inter ſe faciant horizonti parallelam.

Non eſt itaque, cur in eo ſe torqueant Anatomici, ut certam pronuntient ſententiam, niſi eam, nihil hîc eſſe certâ lege definitum, niſi fortè fallere velint, ut & ipſi falſi fuerunt, putantes, ut dixi, id, quod quiſque in oblatis ſibi fœtibus invenit, eſſe legem naturæ ſtabilem. Laudo hîc * Eyſſonii prudentiam, qui cùm in unico fœtu ſuo fortè nullum inveniſſet oſſiculum, maluit aliorum laudare ſententias, quàm aſtruere ſuam.

* *De oſſib. infant. cap. 4.*

CAPUT XVI.

Claviculæ.

UT in tota corporis humani fabrica mira apparet naturæ architectæ, ſeu naturantis, ut Theologi loquuntur, prudentia; ita mirari eam maximè licet in geminis illis oſſibus, quæ claviculæ nominantur. Nullum enim os citiùs, quàm hoc toto corpore perficitur, adeo ut ſex primis à conceptione hebdomadibus, tota ſint oſſea, ut meritò hæc ego vocare poſſim oſſa πρωτογνέα. Intererat autem hominis quamprimum hæc perfici; cùm enim ſupremo oſſi ſterno per arthrodiam ſynathroſeos, & acetabulo humeri eadem articulatione conjungantur, ſintque ſcapulæ, & ſternum initio prorſus cartilaginea, opus erat forti aliquo fulcimento,

ne

ne hæc collapſa corculum opprimerent, quam eandem etiam ob cauſam uſque ad menſem tertium craſſiora ſunt omnibus oſſibus, neque incipiunt ante menſem quartum ab artuum oſſibus ſuperari. Id etiam in iis conſideratione dignum, quod à principio formam & figuram tam perfectè referant, quam cernere eſt in ætate provectis.

CAPUT XVII.

Scapulæ.

SCapulæ partes, quod omnibus conſtat, ſunt baſis, ſpina, cervix, proceſſus coracoides, ſeu anchoriformis, & proceſſus ſummus humerus dictus. De ſingulis quomodo in fœtu ſe habeant dicendum, ac primùm de tota ſcapulæ maſſa, quæ ſecundo menſe adhuc informis quædam ac rotunda cartilago eſt, puncto albo in medio notata, quod indicat oſſificationis principium, deſinit hæc cartilago ſine ullo diſtinctionis indicio in partem anguſtiorem, longiuſculam albam lineam in medio oſtentantem, quæ poſtea in os humeri à ſcapula diſtinctum efformatur. Tertio menſe jam formam habet ſuam, & ſpinam, ita perfectè oſſeam, ut exiguâ cartilagine circumdetur ſuperiùs, cùi adhæret ſummus humerus, qui adhuc eſt omnino cartilagineus, uti & proceſſus coracoides, & cervix, imò & baſis adhuc plus mediâ ſui parte cartilaginea eſt. Quæ vel ideo mihi anno-

annotanda videntur accuratiùs, ut dirimi possit lis, quam * Eyssonius intentat Riolano & Coitero: dum eos coarguit erroris, quòd cervicem dixerint cartilagineam. Facilè enim virorum istorum partes agam, si dixero Eyssonii fœtum, quem unicum secandum habuit, trimestri fuisse majorem. Mirum autem dictu, & citra fidem videatur, quàm cito, quantisque progressibus natura in fœtuum ossibus augendis & perficiendis, pòst tertium præcipuè mensem, procedat. Quarto enim mense cervix, quæ tertio tota, & basis, quæ plus mediâ sui parte erat cartilago, jam hæc ita est ossificata, ut tantùm angusto limbo cingatur cartilaginoso, & cervix media sit ossea. Riolanus ergo & Coiterus verè de cervice pronuntiarunt, eam totam esse cartilaginem, ante quartum nimirum mensem; Eyssonius autem etiam verè dixit se eam invenisse osseâ substantiâ præditam, sed non rectè tamen eos de anteriore tempore loquentes reprehendit, aut corrigit; nec enim rectè infertur ex uno tempore ad aliud consequentia, in fœtu præsertim, ubi omnia mutantur ferè in horas. Ut autem ad basim redeam, limbus ille cartilaginosus angustior, qui eam adhuc quarto mense cingit, quinto ac reliquis deinceps paulatim minuitur; inferiùs tamen ubi in acumen desinit, multò tardius acquirit ossis firmitatem, quòd ea pars longiùs abest à centro circuli, quem ossificando natura conficit. Jam processus gemini quid? sunt ii ad nonum usque

* *De ossib. Infant. cap. 4.*

uſque menſem adhuc magnam partem cartilaginei, uti acetabulum, & ei inſertum capitulum oſſis humeri, quæ ne nativitate quidem firmitatem oſſis acquirunt; hinc recenter nato in attollendo brachio difficultas. De fiſſura autem illa, ſeu interſtitio hiante inter coracoidem, & baſis partem, quæ ei ſubjacet, quid dicam? de qua, neſcio, an quis loquatur; ego verò non aliud habeo dicere, niſi quòd ante menſem quintum non apparet ejus veſtigium, poſtea paulatim magis magisque excavatur, ut nono menſe ſemilunarem figuram exhibeat, quæ deinde iſtam, quam in adultis videmus, acquirit formam.

CAPUT XVIII.

Artus superiores.

QUod in scapulæ descriptione annotavimus, eam secundo mense nullâ adhuc articulatione ab osse humeri distingui, hîc animadvertendum multò etiam magis in ossibus artuum superiorum, necdum enim tum ab humero cubitus, neque ab hoc radius vel articulatione, vel separatione per medium distinguitur, sed una eademque omnium cartilago est, in cujus parte superiore longiuscula alba linea unica, quâ humerus; inferiore autem binæ juxta se invicem collocatæ conspiciuntur, quibus cubitus & radius in os formari incipiunt. Hoc loco, quod non paucis ossibus commune est, quia in hisce insigniter apparet, admonebo; ea nimirum dum crescunt & firmantur in media sui parte, ubi prima se produnt subalbida ossificationis vestigia, esse interiùs cava quidem, sed cavitatem illam repleri medullâ, & circumdari parietibus firmis, hoc est ossea substantia hac in parte, quàm in ceteris duriore; extremitates autem, ubi parietes minùs sunt firmi, spongiosâ quadam replentur materiâ, quæ potiùs dici possit osseam imitari substantiam, quàm ipsa ossis vel induisse naturam, vel habere consistentiam.

Carpus, metacarpus, & digitorum, ut loquuntur, phalanges una sunt cartilago, quæ contra ac de cubito

bito & radio dicebamus, quinquefariam in totidem digitos fissa est, in quorum extremitate, si quis conspicilio, aut lynceis utatur oculis, puncta quædam alba possit conspicere, unde substantia ossea suæ sumet firmitatis principia.

Tertio mense artuum superiorum cartilago, uti dicebam unica, ostendit quasi dubio sigillo sibi impressam articulationem. Cubitus & radius ita discessionem fecerunt ab invicem, ut non amplius uni inhæreant cartilagini, sed quodque suâ circumdetur, & distinguatur superficie. In carpo se produnt puncta quædam subrubra singula centrum suæ ossificationis indicantia. Metacarpus, & digitorum ordines jam tum ostentant distincta sua ossicula in longitudinem extensa.

Mensibus tribus sequentibus nihil variat sed tantùm auget paulatim, quæ jam inchoata sunt, natura parens.

Septimo & octavo mense apparent obscurè quidem, sed apparent, nono autem clarè & perspicuè videntur omnes sinus, tubercula, trochleares appendices utriusque epiphyseos, humeri, cubiti, item & radii, octo cartilaginum carpi, articulationum metacarpi, & digitorum æquè distinctè jam in cartilaginibus fœtuum, quàm in ossibus postea seniorum. Unde cautè legendus * Coiterus, & qui ex eo descripsit † Riolanus, ubi dicit. *Carpi ossa, dum fœtus nascitur, ex una cartilagine constantur, postea fiunt ossea,*

* *De ossib. Infant. cap. 10.* † *Enchir. lib. 1. cap. 29.*

& à se mutuo distinguuntur : si namque verbis his indicare velit confusam unam cartilaginem, quæ nondum præbeat rerum, quas jam attulimus, conformationem, fallitur, uti etiam * Eyssonius dum ait, *Inferior verò cubiti cartilago nullum processûs styloidis, aliorumque præbet indicium.* Nos enim, ut verbis ejus utar, *operoso hæc indagavimus molimine*, & asserimus, jam tum à mense quarto apparere vestigia earum distinctionum, quæ ipse nono mense vel esse negat, vel an sint dubitat. Quare ea omnia, quæ isto capite vel obliquè, vel directè in dubium vocare videntur hanc in cartilagine distinctionem, unâ omnia delemus spongiâ, quòd nihil tam minutum sit eorum, quæ postea in ossibus formatis existunt, quod septimo mense se non prodat, & nono clarè videatur in cartilaginibus. Ea potiùs animadvertenda diversitas, quod os humeri in fœtibus, & recenter natis sit rectum & teres, in senioribus autem fiat contortum, & curvum.

* *De ossib. infant. cap. 4.*

CA-

CAPUT XIX.

Artus inferiores.

OS femoris duobus primis menſibus cum oſſe tibiæ mediâ cartilagine continuatur, nullo adhuc apparente in ea articulationis veſtigio. Circa os tibiæ verò non tantùm admiratus ſum, ſed ferè obſtupui, quòd in duobus iſtius ætatis, quæ, quantâ potui, examinavi diligentiâ, nullum invenerim focilis minoris, ſive ſuræ veſtigium: non eſſe, mihi religio eſt aſſerere, quòd non facilè in animum inducam meum naturam tantæ & tam notabilis partis nullum jam duobus menſibus fabricatam eſſe rudimentum. Sed quid faciam? mordicus adhuc illi adhæreo propoſito nihil affirmandi, niſi quod clarè oculis ipſe meis perſpexerim: ſi quis poſthac me vel diligentior, vel felicior partem eam invenerit, & oſtendere poſſit, debebimus illi cum gratiarum actione hujus dubii noſtri ſolutionem; non ſine aliquo gnavæ induſtriæ ejus encomio.

In pedum tarſo, metatarſo, & digitis cùm eandem natura ſervet rationem, quàm in carpo, metacarpo, & manuum digitis, nec nos orationem variabimus, toti enim ſunt cartilaginei, apparentibus tantùm hinc inde quibuſdam punctulis, quæ oſſificationis rudia ſunt exordia.

Tertio menſe, unde ~~unde~~ prodierit, jam apparet ſura, ſive focile minus, oſſeum quidem æquè ac

tibia, hac tamen tenuius aliquantò & brevius. Metatarſus autem ita obſcurè oſſificari incipit, ut fatearis videre te quippiam, quod tu nec oſſeam induiſſe, nec cartilagineam exuiſſe ſubſtantiam dicere audeas. Neque de patella ſit ne hoc tempore, an non, patet, ſi autem ſit, eſt uti

Quarto menſe apparet, & etiam longo poſt nativitatem tempore permanet tota cartilaginea. Quid tarſus, quid metatarſus? hujus oſſicula mirum in modum aucta ſunt, illius verò punctula dubia, jam ſe rubore quodam produnt, & oſſificationis variæ centra (ut & alii ante nos locuti fuêre) oſtendunt. At in digitorum pedis fabricatione ſingulare quoddam, & prorſus diverſum ab eo, quem in manuum digitis ſecuta eſt, ordine, videtur naturæ eos effigiantis machinamentum. Hoc enim menſe de quo agimus quarto, ſingulorum articuli inferiores jam punctis diſtinguuntur, quemadmodum & ſummi, mediis adhuc nihil, quod oſſificationis minimam notam indicet, præ ſe ferentibus.

Quinto & ſexto menſe primus à pollice jam gaudet puncto articuli medii, & tanquam ſi dignitatis quendam in eo ſervent ordinem ſeptimo & octavo etiam ſecundus, tertiusque, nono denique minimus minimum tandem oſtendere audet in medio ſuo articulo oſſificationis indicium.

Ungues, quòd oſſa non ſint, ſed peculiaris quædam ſubſtantia, & ad excrementa referantur, ut plurimùm nullo jure hîc ſui mentionem poſtulent, quam-

quamvis jam inde à menſe tertio formati apparent: atque hæc de articulorum in digitis ſucceſſiva oſſificatione dicta ſint: ut autem redeamus, unde nos hæc contemplatio abduxit.

Quinto, ſexto, ſeptimo, & octavo menſe augeſcunt gradatim omnia, quæ quarto comparuêre: ſeptimus oſſis calcanei principiis, octavus oſſificatione aſtragali, & calcanei inſignis eſt, nec non articulationibus quibuſdam apparentibus in cartilagine; quibuſdam, inquam, non enim articulatio in omni cartilagine perfectè ante nonum menſem delineata eſt.

FINIS.

Inſpecturo tabulas haſce

ADMONITIO.

QUò tabulis majore cum fructu utatur Lector, dum earum inter legendum fieri deſiderat ſpectator, hoc ante omnia animadvertat. In Oſteogenia nos capitibus ſingulis, de uno aliquo oſſe, vel oſſiculis aliquot ad id pertinentibus agere, atque examinare quomodo ſeſe per ſingulos menſes habeant; has autem tabulas anatomicas ſingulas oſtendere omnia oſſa, quemadmodum uno aliquo menſe conſtituta ſunt. Dum ergo inter legendum quis avet haurire aliquam ex tabularum inſpectione claritatem, notet de quo menſe Oſteogenia loquatur, inſpiciatque tabulam, quæ iſtius menſis depingit fœtum, ibique reperiet talem oſſis depictam conſtitutionem, qualem Oſteogenia deſcribit.


Alterum, quod videbatur operæ pretium admonuiſſe; quòd cùm loquamur aliquando de minutulis oſſis alicujus partibus, non permiſit figura, ut litteras indices ipſo, quo res exhibetur, loco adſcriberemus, quippe totam rem demonſtrandam obumbraturas: lineam itaque extra figuram protraximus, cujus apici littera appicta eſt, quæque exortu ſuo locum petitum denotet.

Tabula XXXII. fœtum duorum mensium, & prima in eo ossificationis principia ostendit; quem figurâ expressimus paulo, quàm natura ipsum dat, majore; quamvis enim distinctissimè omnia apparent in eo, quod servo, ad fidem extorquendam, sceleto; non potuissent tamen in pictura ita clarè videri, nisi nonnihil magnitudini indulsissem.

A. *Tota capitis moles cartilaginea.*

b. *Par tertium maxillæ superioris ossificationis rude præbens principium.*

B. *Maxilla inferior tota ossea, in medio jam nunc distinctissimè distincta.*



C. C. *Claviculæ binæ, ossium ominum primogenita.*

d. d. d. d. *Summa & ima costa cartilagineæ, cùm reliquæ omnes jam sunt osseæ.*

E. E. *Manus totæ cartilagineæ, fissæ in quinque digitorum ordines, in quibus apparent quasi puncta quædam ossificationis principia.*

F. F. *Cartilago ossis innominati, in qua apparent puncta oßificationis bina oßis ilii strictè dicti.*

G. G. *Focile majus: cui nullum adest, neque cartilaginis, neque osseum focilis minoris indicium.*

H. H. *Pedes toti cartilaginei: uti dictum est de manibus.*

Tabula XXXIII. fœtum trium mensium exhibet.

Figura I.

Totius est fœtus delineatio.

A. *Capitis tota capacitas adhuc maxima ex parte cartilaginosa.*

b. b. *Oßificationis initium supra orbitam oculorum.*

B. *Maxilla superior magna ex parte jam ossea.*

C. *Divisio maxillæ inferioris ad menti medium.*


D. D. &c. *Articulationes omnes majores cartilagineæ: minores in manibus & pedibus ipsæ suâ nigredine sunt conspicuæ.*

E. *Sternum totum cartilaginosum.*

F. F. *Metacarpi, & digitorum distincta oßicula in longitudinem extensa.*

C. C. *Oßis*

G. G. *Oßis innominati cartilago,in qua nihil adhuc oſſeum præter* h. h. *oßis ilii ſtrictè dicti principia, jam nunc oſſea.*



I. I. *Duo foramina in cartilagine oßis innominati circa locum ubi oſſa pubis & coxendicis formabuntur.*

K. K. *Articulationes pedum ut quarto menſe apparent, ſed obſcuriùs.*

FIGURA II. III. IV. V.

Oſtendunt oſſis magni triangularis in oſſe occipitis varietatem. Quandoque enim conſtat oſſe unico, ut fig. III. litt. A. Quandoque duobus, ut

 fig. IV.

fig. IV. litt. B. B. Quandoque tribus, ut fig. II. litt. C. C. C. Quandoque quatuor, ut fig. V. litt. D. D. D. D. Ceterum in omnibus e.e.e.&c. oſtendunt oſſicula ab hoc triangulari diſtincta, quæ poſtea cum eo coaleſcunt. F. &c. foramen pro tranſitu medullæ ſpinalis denotat.

FIGURA VI.

Maxillam inferiorem quadripartitam oſtendit.

A. *Diviſio in menti medio.*

B. B. *Cornua κορῶναι dicta, quibus muſculi temporalis tendo implantatur, quæ uſque ad tertium menſem oſsium ſuturâ ſuâ à reliqua maxilla ſeparatorum ſunt capita. Oſſa autem hæc, quo meliùs conſpici poſsint, non nihil extra ſitum naturalem ſunt diſtorta.*

FIGURA VII.

Scapula.

Scapulæ ſummus humerus a. *Proceſſus coracoides* b. *Cervix* c. *toti cartelaginei. Baſis item* D. *multum adhuc habet cartilaginis.*

FIGURA VIII.

Vertebrarum partem internam exhibet.

A. *Sextæ dorſi vertebræ notabile oſsificationis punctum: unde ſurſum verſum minuendo paulatim aſcenditur uſque ad quintam colli vertebram* a.

b. *Tertia*

b. *Tertia oßis ſacri vertebra ; quò uſque oßificatio hoc menſe minuendo deſcendit.*

Figura IX.

Vertebrarum partem externam oſtendit.

A. *Summa colli vertebra, à qua ſemper minuendo oßificationem hoc menſe deſcendit natura uſque ad os ſacrum.*

Tabula XXXIV. fœtum quatuor menſium exhibet.

Figura I.

Totius eſt fœtus delineatio.

A. *Fontanella.*

B. *Sutura os frontis dividens.*

C. C. *Cartilaginoſitas in centro oßis frontis.*

D. *Maxillæ inferioris diviſio.*

E. E. &c. *Articulationes omnes majores cartilagineæ: minores in manibus & pedibus ipſæ ſuâ nigredine ſunt conſpicuæ.*


F. *Sternum adhuc totum cartilaginoſum.*

G. G. *Cartilago circumdans os ilii.*

H. H. *Os ilii ſtrictè dictum, ab oſſe coxendicis (pubis enim adhuc nullum eſt) diſtinctum.*

I. *Os coxendicis à parte ſiniſtra; dextrum enim ut oſtendatur, delineatio non permittit.*

Tab. XXXIV


FIG. I
A
B
C
C
D
F
E
E
E
E
G
G
H
H
k
k
I
E
E
E
E
M
M
FIG. II
B
F
D
A
E
FIG. IV
B
B
A
A
C
C
FIG. III
D
B
B
D
A
A
C
C
K

k. k. *Foramina magna in osse pubis & cartilagine coxendicis.*

L. L. *Patella cartilaginea obscurè à cetera articulationis cartilagine distincta.*

M. M. *Articulationes digitorum pedis; mediæ nullum adhuc apparet indicium.*

FIGURA II.

Os temporum.

A. *Os squamosum.*

B. *Processus zygomaticus.*

C. *Tympani membrana in situ naturali.*

D. *Circulus osseus tympani membranam ambiens.*

E. *Ossis petrosi exigua lineola jam ossea.*

F. *Processus styloides adhuc cartilaginosus, distinctus tamen à reliqua cartilagine, in situ suo naturali.*

G. G. *Cartilaginositas magna ossis petrosi.*

FIGURA III.

Os sphenoides à parte interiore, ut octo ejus ossicula appareant.

A. A. *Primum par: processus pterygoidei.*

B. B. *Secundum par: principia eorum processuum, qui deinde maxillam superiorem tangunt.*

C. C. *Tertium par: principia ossis, quæ sellam equinam postea constituent, nunc ossicula distincta, caput majoris*

joris aciculæ æquantia. Quæ celerrimè in formam figuræ appoſitæ K. *coaleſcunt.*

D. D. *Quartum par : principia oſſis, quà nervi viſorii transmittentur, nunc oſſificatæ binæ lineolæ.*

Ceterum os ſphenoides hoc menſe nihil eſt, niſi continua cartilago, quæ octo jam aſſignatis punctis diverſis in locis oſſificatur.

FIGVRA IV.

Os ſphenoides parte exteriore.


A. A. *Par primum.*
B. B. *Par ſecundum.*
C. C. *Par tertium.*
Par quartum nervis viſoriis deſtinatum, hîc non apparet.

Tabula xxxv. fœtum quinque menſium exhibet.

FIGVRA I.

Totius eſt fœtus delineatio.

A. *Fontanella.*
B. *Sutura os frontis dividens.*
C. C. *Cartilaginoſitas in centro partium oſſis frontis.*
D. *Maxillæ inferioris diviſio.*
d. d. d. &c. *Alveoli dentium.*
E. E. &c. *Articulationes majores omnes cartilagineæ : minores*


FIG. I
FIG. II
FIG. III
FIG. IV
FIG. V
FIG VI

minores in manibus & pedibus nigredine ipsæ suâ sunt conspicuæ.

F. *Ossicula sterni.*

G. G. *Cartilago circumdans os ilii.*

H. H. *Os ilium strictè dictum, à duobus aliis ossis innominati ossibus distinctum.*

i. i. *Os pubis distinctum à duobus aliis.*

k. k. *Os coxendicis distinctum ab osse pubis & ilii.*

L. L. *Foramina magna in osse pubis & coxendicis.*

M. M. *Patella cartilaginea.*

n. n. *Punctum in primi à pollice pedis digiti medio articulo apparens.*

FIGVRA II.

Os sphenoides exhibet fœtus quinque mensium, jam in unum coalitum.

A. *Cartilago major circa cellam equinam.*

b. b. *Foramina pro transitu nervorum opticorum.*

c. c. c. c. *Foramina pro transitu nervorum.*

FIGVRA III.

Tria in osse petroso ossicula ostendit.

A. *Os squamosum.*

B. *Processus zygomaticus.*

C. *Membrana tympani.*

D. *Circulus osseus tympano circumdatus.*

e. e. e. *Tria petrosi ossis distincta ossicula.*

E. *Reliquum ossis petrosi cartilagineum.*

FIGVRA IV.

Officula auditûs ostendit.

A. *Malleus processu suo longiusculo* a, *cui tympani membrana adhæret, adhuc cartilaginosus.*
B. *Incus processu suo* b. *adhuc cartilaginosus.*
C. *Stapes nondum suam isoscelis figuram adeptus.*

FIGURA V.


Epistropheus.

A. A. *Gemini processus laterales epistrophei ossei.*
B. *Corpus, jam apparens osseum.*
C. *Foramen pro transitu spinalis medullæ.*

FIGURA VI.

Atlas.

A. A. *Gemini processus laterales atlantis ossei.*
B. *Ubi corpus formabitur adhuc mera est cartilago.*
C. *Foramen pro transitu spinalis medullæ.*


FIG. I
A
B
C
D
D
E
F
F
F
F
F
G
H
H
I
I
K
K
L
L
M
M
F
F
N
N
F
F
F
F
FIG. II
b
B
B
b
A
b
b
F
C
G
D
E
FIG. III
B
C
A
D
e
E

Tabula XXXVI. fœtum ſex menſium exhibet, nec præcedentem vincit, nec à ſequentibus vincitur tantis incrementis, quantis minores ſeſe invicem gradatim ſuperaverunt.

FIGVRA I.

Fœtûs totius eſt delineatio.

A. *Os ſyncipitis.*
B. *Fontanella.*
C. *Sutura os frontis dividens.*
D. D. *Cartilaginoſitas in centro partium oſſis frontis adhuc apparens.*
E. *Maxillæ inferioris diviſio.*
F. F. F. &c. *Articulationes majores omnes cartilagineæ: minores in manibus & pedibus ſuâ ipſæ nigredine ſatis ſunt conſpicuæ.*
G. *Oſſicula ſterni.*
H. H. *Cartilago circumdans os ilii.*
I. I. *Os ilii ſtrictè dictum, à duobus aliis oſſis innominati oſſibus diſtinctum.*
K. K. *Os pubis diſtinctum à duobus aliis.*
L. L. *Os coxendicis diſtinctum ab oſſe pubis & ilii.*
M. M. *Foramina magna in oſſe pubis & coxendicis.*
N. N. *Patella cartilaginea.*
O. O. *Punctum oſſeum in primi à pollice pedis digiti articulo medio apparens.*

FIGURA II.

Os occipitis.

A. *Prima pars ossis occipitis, magnum scilicet os triangulare, hîc quatuor suturis irregularibus* b.b.b.b. *praeditum.*

B. B. *Cartilago circumdans os occipitis.*

C. *Secunda pars ossis occipitis.*

D. *Tertia pars ossis occipitis.*

E. *Quarta pars ossis occipitis.*

F. *Ossiculum triangulare, quod jam inde à quarto mense prodire incepit.*

G. *Foramen, per quod transit medulla spinalis.*

FIGURA III.

Bina in osse petroso ossicula ostendit.

A. *Os squamosum.*


B. *Os primum maxillae superioris.*

C. *Processûs pterygoidei portio.*

D. *Ossis petrosi pars, quae jam ex duabus coaluit.*

e. *Tertium ossis petrosi ossiculum.*

E. *Ossis petrosi circumferentia cartilaginea.*


Fig. I
Fig. II
Fig. III
Fig. IV
Fig. V
Fig. VI

Tabula XXXVII. fœtum ſeptem menſium exhibet, paulo quàm eo tempore ſolent eſſe majorem, prodierat enim cum fratre ſuo gemello vivus in lucem.

FIGURA I.

Totius eſt fœtus delineatio.

A. *Os ſyncipitis.*
B. *Fontanella.*
C. *Sutura, os frontis dividens.*
D. *Os temporum.*
E. *Maxillæ inferioris diviſio.*
F. F. &c. *Articulationes majores omnes cartilagineæ, minores in manibus & pedibus ſuâ ipſæ nigredine ſatis ſunt conſpicuæ.*
G. *Oſſicula ſterni.*
H. H. *Cartilago circumdans os ilii.*
I. I. *Os ilium ſtrictè dictum, à duobus aliis oſſis innominati oſſibus diſtinctum.*
K. K. *Os pubis diſtinctum à duobus aliis.*
L. L. *Os coxendicis diſtinctum ab oſſe pubis & ilii.*
M. M. *Foramina magna in oſſe pubis & coxendicis.*
N. N. *Patella cartilaginea.*
O. O. *Os aſtragali.*
P. *Os calcanei, quod in dextro videri non poteſt.*
q. q. q. *Puncta in primi, ſecundi & tertii à pollice digiti medio articulo apparentia.*

FIGURA II.

Quæ primò tria, deinde bina fuerunt in petroso ossicula, jam in unum coaluisse, ostendit.

A. *Os squamosum.*

B. *Processus zygomaticus.*

C. *Ossis petrosi substantia, ex tribus jam sæpe dictis in unum coalita.*

D. *Ossis petrosi circumferentia adhuc cartilaginea.*

FIGURA III.

Ossicula auditûs proponit.

A. *Malleus.*

a. *Mallei processus major adhuc cartilaginis quippiam in fine ostentans.*

B. *Incus.*

b. *Incudis processus in fine cartilaginosus.*

C. *Stapes.*

FIGURA IV.

Atlas.

A. A. *Gemini processus laterales atlantis ossei.*

B. *Punctum osseum hoc mense apparens, unde corpus paulatim formabitur.*

C. *Foramen pro transitu spinalis medullæ.*

FIGURA V.

Epiſtropheus.

A. A. *Gemini proceſſus laterales epiſtrophei oſſei.*
B. *Corpus.*
C. *Principium oßificationis in dente.*
D. *Foramen pro tranſitu ſpinalis medullæ.*

FIGURA VI.

Scapula.

A. A. *Gemini proceſſus ſummus humerus & coracoides adhuc plurimâ ſui parte ſunt, & uſque ad nonum menſem manent cartilaginei.*
B. *Limbus cartilaginoſus anguſtus baſin circumdans.*
C. *Fiſſura quædam ſemilunaris inter coracoidem & baſin, quæ menſe quinto ſe incipit oſtendere.*

Tabula XXXVIII. fœtum octo mensium ostendit.

FIGURA I.

Totius est fœtus delineatio.

A. *Os syncipitis.*
B. *Fontanella.*
C. *Sinus longitudinalis per duram matrem conspicuus.*
D. *Sutura, os frontis in duas partes dividens.*
E. *Os temporum.*
F. *Maxillæ inferioris divisio.*
H. H. H. &c. *Articulationes majores adhuc omnes cartilagineæ : minores in manibus & pedibus suâ ipsæ nigredine satis sunt conspicuæ.*
I. *Ossicula sterni.*
K. K. *Cartilago circumdans os ilii.*
L. L. *Os ilium strictè dictum, à duobus aliis ossis innominati oßibus distinctum.*
M. M. *Os pubis distinctum ab aliis duobus.*
N. N. *Os coxendicis distinctum ab osse pubis & ilii.*
O. O. *Foramina magna in osse pubis & coxendicis.*
P. P. *Patella tota cartilaginea.*
Q. *Os astragali cartilagine undique cinctum.*
R. *Os calcanei.*
ſ. ſ. ſ. *Puncta in primi, secundi, & tertii à pollice digiti medio articulo apparentia.*

FIG. I




FIG. II

FIGURA II.

Membranam tympani membranæ obtenſam, & proceſſum ſtyloideum cartilagineum oſtendit.

A. *Os ſquamoſum in fœtu à petroſo diſtinctum.*
B. *Os petroſum.*
C. *Cartilago hæc oſſa diſtinguens.*
D. *Proceſſus zygomaticus.*
E. *Membrana, quæ tympano incubuerat, reflexa, & loco ſuo mota, ut meliùs conſpici poßit.*
F. *Tympanum in ſuo ſitu.*
G. *Proceſſus malleoli oſſeus per tympanum, cui adhæret, conſpicuus.*
H. *Circulus cui tympani membrana annectitur oſſeus.*
I. *Proceſſus ſtyloides cartilagineus, qui circulo naturaliter incumbit, à loco ſuo nonnihil remotus, ut appareat.*

Tabula XXXIX. fœtum novem menſium delineat.

FIGURA I.

Totius eſt fœtûs delineatio.

A. *Os ſyncipitis.*

B. *Fontanella.*

C. *Sinus longitudinalis per ipſas membranas conſpicuus.*

D. *Sutura, os frontis in duas partes dividens.*

E. *Os temporum.*

F. F. F. *Extuberantiæ in maxilla ſuperiore.*

G. *Diviſio maxillæ inferioris.*

H. H. &c. *Articulationes majores adhuc omnes cartilagineæ, minores in manibus & pedibus ſuâ ipſæ nigredine ſatis ſunt conſpicuæ.*

I. *Oſsicula ſterni.*

k. k. k. k. k. k. &c. *Sex coſtæ ſurſum reflexæ.*

l. l. l. l. l. l. &c. *Sex coſtæ deorſum reflexæ.*

M. M. *Cartilago circumdans os ilii.*

N. N. *Os ilii à nobis paſſim dictum, quod Bartholino ilion, aliis aliter, vulgò plurativo numero os ilium ab ilibus nominatur, etiamnum à duobus aliis oſſis innominati oſſibus diſtinctum.*


O. O. *Os pubis in fœtu diſtinctum ab aliis duobus.*

P. P. *Os coxendicis in fœtu ab aliis duobus diſtinctum.*

Q. *Foraminum magnorum in oſſe pubis & coxendicis alterum, alterum enim, ut pingeretur, non permittebat perſpectivæ ratio.*

R. R. *Patella, adhuc tota cartilaginea.*

S. *Os*


Fig. I
Fig. II
Fig. III
Fig. IV
Fig. V

S. *Os aſtragali.*

T. *Os calcanei, cartilagine undique cinctum.*

v. v. v. v. *Puncta oſſificata in medio articulo, quæ etiam in dextro pede ſunt conſpicua.*

FIGURA II.

Os occipitis fœtûs novem menſium exhibet.

A. *Prima pars oſſis occipitis, magnum ſcilicet os triangulare, hîc in quatuor partes* b. b. b. *diviſum.*

B. B. *Cartilago circumdans os occipitis.*

C. *Secunda pars oſſis occipitis.*

D. *Tertia pars oſſis occipitis.*

E. *Quarta pars oſſis occipitis.*

F. *Foramen, per quod tranſit medulla ſpinalis.*

FIGURA III.

Os ſphenoides exhibet fœtûs novem menſium, jam in os unum coalitum.

A. A. *Partes ad ſellam equinam adhuc cartilagineæ.*

B. B. *Foramina nervis opticis tranſitum præbentia.*

C. C. *Foramina pro ramo quarti paris nervorum.*

FIGVRA IV.

Os temporum interiore ſuâ parte conſpicuum dat.

A. *Os ſquamoſum in fœtu à petroſo diſtinctum.*

B. *Os petroſum.*

C. *Foramen pro nervo auditorio.*

D. *Foramen juxta id, quod nervum auditorium transmittit.*

E. *Processus zygomaticus.*

FIGURA V.

Vertebram in fœtu novem mensium tribus ossibus constantem depingit.

A. *Prima pars* corpus *dicta.*

B. B. *Bini processus laterales.*

C. *Foramen, per quod spinalis medulla transit.*

FINIS.

ERRATA.

Pagina	Linea	Errata	Corrige
64	5	orthopnææ	orthopnœæ
65	ultima	trachææ	tracheæ
72	18	phœnomino	phænomeno
94	8	fædum	fœdum
107	15	expresserant	expresserat
108	2	sub	sed
242	4	curisiotate	curiositate
264	18	cartelagineæ	cartilagineæ